




# Catechismi quaestiones concinnatae

<https://hdl.handle.net/1874/456705>



DRA

Oct.

9

**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

RARIORA

E. oct.


159




48

9










band gerestaureert Schrijver

26-9-1980

maculatum Charbonnier 5, nr 32



In dit bandje bevindt zich  
onder anderen :

- 1 Exemplaar van de Latyn  
Sche vertaling van den  
Heidelbergcher, Cate-  
chismus, gedrukt in  
het jaar 1563.

Vgl. J. J. Doedes,  
de Heidellb. Catech.  
bl. 45 - 52.

N<sup>o</sup> 42. p. \*

N. 2. C.

ye

Ex oct 159 nuncioria 1

Catechismi  
QVÆSTIO-  
NES CONCIN-

NATÆ

Ex dono B. Vogel.

PER

Nicolaum Hemming.



Pfalmo 40.

Beatus est vir ille, qui ponit Dominum fidu-  
ciam suam, & non respicit ad superbos, &  
tractantes mendacium.

IN OFFICINA ERNESTI VOEGEL.



ॐ नमो भगवते वासुदेवाय



# EXIMIÆ PIETATIS

ET DOCTRINÆ VIRO,

DOMINO NICOLAO BLACK, CANO-

nico Roschildensi dignissimo, Praeceptoris suo ob-

seruando, Nicolaus Hemmingius gratiam

& pacem optat, à Deo Patre per

Dominum nostrum Iesum

Christum.

**D**ominus, ut est apud Prophe-  
tam, comminatur sacerdoti-  
bus sui temporis, qui pactum  
Leui violantes, rite non sunt fun-  
cti uero Leuitarum officio. Ita enim  
ait: Vos recessistis de uia, & offen-  
diculo fuistis multis in lege: Corru-  
pistis pactum Leui, dicit *IEHOVAH*  
exercituum, & ego quoque reddam uos  
contemtibiles & humiles omni popu-  
lo. Hac comminatio ad nostra quoque  
tempora se extendit, & ad nos, qui of-  
ficio Leuitarum fungimur, pertinet.  
Nam sicut tempore Prophetæ multi  
gloriabantur de Sacerdotum dignita-  
te & eminentia, qui tamen nihil mi-



P R A E F A T I O.

nus curarunt, quam verum Sacerdotum officium : Ita hodie, proh dolor, plures inueniuntur qui patrimonio (vt uocant) Petri gaudent, quam qui uestigijs apostoli insistentes, gloriam Dei, & hominum salutem serio quaerunt. Neq; hoc in Papatum dictum esse uolo solummodo, sed in nos quoque qui de Euangelio gloriamur. Et tamen si ut sacerdotes Dei de bonis Ecclesiae uiuimus : tamen non minus pactum Leui violamus, quam illi de quibus per Malachiam conqueritur Dominus, id quod sane nemo non uidet, qui uicia Sacerdotum, quos accusat Propheta, cum nostris contulerit. Sunt autem tria potissimum, quae Propheta insectatur, quod recesserint de uia, quod offendiculo fuerint multis in lege, quod corruerint pactum Leui. De uia recesserunt mala uita, & flagitiosis moribus se polluentes. Vitae enim ratio cuiusque uia dicitur: Offendiculo fuerunt multis in lege, suo prauo exemplo multis praebentes occasionem  
 lapsus

P R A E F A T I O.

lapsus contra legem Dei: Corrupe-  
runt pactum Leui, ea fide & diligētia,  
qua decuit, suo officio nō fungentes,  
in seruanda puritate doctrinæ, & pro  
mouenda gloria Dei. Quid non est in  
nostris Sacerdotibus simile? Quod  
enim de uia recedant, testatur multo-  
rum superbia, auaritia, petulātia, po-  
tatio, incontinentia, & alia uicia, quæ  
magis soli huic patent, quam ut celari  
possint: Quod sint multis offendicu-  
lo in lege, sequitur exprimo. Nam mi-  
nister Dei, qui bene docet, sed male  
uiuuit, dextera quidem domum Dei  
ædificat, sed sinistra eandem destruit.  
Apostolus non frustra requirit a Sa-  
cerdotib. ut sint forma gregis. Sicuti  
enim in scientijs Philosophicis optime  
docet is, qui regula & exemplo docet:  
Ita Doctor ecclesię nisi uerbum quod  
in ore habet, uita exprimat, non tam  
doctor quam seductor ecclesię habe-  
ri debet. Nam cum auditores uident  
mores ministrorum Dei non cōueni-  
re cum doctrina, mox pleriq; aut con-

P R A E F A T I O.

temnunt doctrinam, aut labe eorum inficiuntur, ac ita infecti pereunt. Nunquid hoc non est multis offendiculo esse in lege? An non hoc est suis moribus, efficere, ut multi in legem impingant? Utinam hic uanus essem. Utinam possent plerique ad suos mores, & ad propriam conscientiam prouocare. Nihil libentius paterer, quam me in hac causa succumbere. Quod corrumpant pactum Leui, hoc est, quod non fungantur ea fide & diligentia officio sibi commisso, qua deceret, manifestum est in multis. Vehementer errant qui suo se functos officio putant, quando uel recte docuerunt, uel in genere uicia taxarunt: Quibus partibus si fuissent contenti Prophetæ Dei, non tam horrendis supplicijs fuissent olim affecti. Quid ergo desideras? Id quod Prophetæ, Apostoli omnes, & uox Christi requirunt. Quid hoc est? ut remedium adhibeas uulneri, reprehendas sigillatim hominum scelera, & singulis in os dicas, quo tendat ipsius uita.

P R A E F A T I O.

ta. Ebrioso suam ebrietatē, Superbo suam superbiam, Avaro suam auariciam, Tyranno suam tyrānidem, Libidinoso suā libidinem ob oculos ponas tanquam legatus Dei. Sic sanctus Nathan fecit : Sic Baptista, sic Paulus, sic Ambrosius & omnes alij pij pastores. Sed inquires: Si sic agerem, periclitarer de uita : eijcerer de meis facultatibus: actum esset de meo honore: præterea frustra hoc tentarem. In hac enim malicia mundi uix quisquam patienti animo meam correptionem esset admissurus. ὁ μὲν λόγος φρονεῖ, ὁ δὲ νοῦς παραφρονεῖ. Excusatio hæc iusta uideri posset, si tua tantum res ageretur: Sed nunc fungeris legatione Dei, ut non tam quod tibi uideatur, quam quod ipse a te requirat spectandum sit. Ipse Dominus apud Ezechielem in hunc modum te alloquitur : Speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo uerbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, & lo-

P R A E F A T I O.

cutus fueris, vt auertatur a uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinē autem eius de manu tua requiram: Si autē tu annunciaueris impio, & ille nō fuerit ab iniquitate sua conuersus, ipse quidem in iniquitate sua morietur, Tu autem animā tuam liberaſti. Grauiſſima etiā extat apud Ieremiam cōminatio: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. Mandatum Dei erat, ut Iudæi deuaſtarent Moabitas, quod quia non fecerunt, pronunciantur a Propheta maledicti. Cuius rei ratio a generali principio petitur: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. An non multo maiori maledictioni merito cēſentur obnoxij, qui in Moabitibus Spiritualibus deuaſtandis ſunt remiſſiores: hoc eſt, qui peccata hominum non oppugnant indefeſſe, ut regni Chriſti pomœria abolitis hoſtib. dilatentur: Huc pertinet cap. 34. Ezechielis, in quo Dominus comminatur paſtoribus, qui neglecto grege Chriſti,

P R A E F A T I O .

Christi, quæ sua sunt quærunt, quibus non dissimiles sunt multi hodie. Nam plures solliciti sunt pro grege porcorum augēdo, quam pro grege ouium Christi rite pascendo. Quorum alij ignorant sui officij partes, alij norunt utcunq;, sed scientes & uolentes officium negligunt, quos sane ab officio remouēdos, si sunt insanabiles, absq; omni misericordia iudico. Crudelis est enim misericordia, quæ dum vni præstatur, multis cedit in interitum. Atq; inspectores, qui ferunt tales pastores, seipsum potius, quam gregem Christi pascētes, grauius sibi iudicium accersunt. Requiritur autē in fideli pastore hæc quatuor. Primum cognitio sanæ doctrinæ, quæ profecto haberi nequit sine magnis laboribus, longō studio, assidua uerbi Dei lectione, & pia eiusdē meditatione. Secundum donum docendi, & certa docendi forma. Nisi enim quis aptus sit ad docendum, & ea quæ recte nouit utiliter alijs tradere possit, inutilis est ecclesiæ

A 5

pastor

P R A E F A T I O.

pastor. Tertium accommodandi prudētia seu peritia ἡ ὀρθοτομίαν (ut uerbo Pauli utar) uerbum Dei. Vt enim stultus medicus iudicatur is, qui omnium morborum generi unam medendi rationem accommodat: Ita doctor uerbi Dei, nisi pro conditione hominum accommodat uerbum, imperitus censendus est. Ignaros enim docebit, infirmos eriget, pigros excitabit, sceleratos obiurgabit, ac minis percellet illorum animos, ut resipiscant, contumaces disciplina ecclesiae puniet, hostibus ora obstruet. Sic Christus fecisse legitur: ita Paulus faciendum praecipit. Quartum sanctitas uitae. Debet enim pius pastor forma gregis esse iuxta Pauli sententiam. Et Christus uult pastores praelucere alijs bonis operibus. Qui harum partium uel minimam neglexerit, fraudulentem facit opus Domini. Ideoque maledictus uoce Domini pronuntiatur. His officijs seu partibus, si rite fungerentur plerique, non tam molli fruerentur ocio. Sed ter stulti su-

P R A E F A T I O .

ti sumus, qui plus puluerem & cinerem timemus, quam Deum uiuentem. Multo rectius faceremus, si propositis nobis comminationibus diuinis, cogitaremus Deum haud impune laturum uiolationē sui pacti. Tametsi enim statim, ubi offensus fuerit, non punit: tamen uere peccata hominum tanquam in fasciculo ligat, & recōdit, donec ei uisum fuerit iniquitates nostras uisitare. Ligata est, inquit Propheta, iniquitas Ephraim, reconditum est peccatum eius. Diu cumulauerunt scelera sacerdotes Leuitici, sed tandem Deo iustas pœnas dederunt. Et Malachias sacerdotibus pactum Leui uiolantibus ait ex uerbis Domini: Et ego reddam uos contemptibiles & humiles omni populo, quoniam non custodistis uias meas, hoc est, quia uiolastis pactum Leui. Si quis autē quærīt qualem fuerit illud pactum, audiat eundem Prophetam dicentem: Pactum meum fuit cum eo uitæ & pacis, dedique ea illi ob timorem. Timuit enim  
me,



P R A E F A T I O .

me, & a facie nominis mei contritus fuit ipse. Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, et multos reuocauit ab iniquitate, Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia legatus Domini exercituum est. Habes his Prophetæ uerbis pulcerrime descriptum pactum, quod Dominus cum Leui pepigit. Dominus pacem & uitam promittit, sed timentis se & rite fungenti suo officio. Ut enim in omni pacto est mutua obligatio: ita & hic. Deus promittit pacem & uitam: Leui Deum timet, & recipit, se commissam legationem cum fide & diligentia obiturum. Numerat autem hic partes pacti a parte Leui plures, quarum prima est timor Dei, qui sincerus esse nequit, nisi a fide proficiscatur. Secunda: Lex ueritatis in ore eius, hoc est, doctrina uera, sancta & pura. Tertia: Et iniquitas non est inuenta in labijs eius, hoc est, falsam & fucam

P R A E F A T I O .

fucatam doctrinam fugit, atq; adeo  
 ut pestem detestatur quicquid ex ore  
 Domini non hausit. Quarta: In pace  
 & aequitate ambulauit, hoc est, stu-  
 dit uitam suam componere ad nor-  
 mam iusticiæ meæ, seruando pacem  
 & aequitatem cum proximis. Quinta:  
 Et multos reuocauit ab iniquitate, sci-  
 licet doctrina, correptione, cõmina-  
 tione, deinde & uitæ sanctimonia,  
 idēq; nomine domini exercituum, cuius  
 est legatus. Hæc de pacto Leui, & com-  
 minatione Sacerdotum uiolantium  
 pactum istud, ideo a me dicta sunt, ut  
 & me & mei similes, qui in locum Le-  
 ui successimus, excitem ad officium  
 præstandum, nisi malimus promissa a  
 Deo uita & pace excidere. Porro quo-  
 niam pars pacti est, ut puram & sence-  
 ram Dei doctrinam tradamus singuli  
 pro suæ uocationis, & gratiæ modu-  
 lo, Ego prima religionis rudimenta in  
 hoc libello explicare ad captum pue-  
 rorum institui. Si quis autē hunc me-  
 um laborem & conatum improbare  
 uelit,

P R A E F A T I O.

uelit, propterea quod multi extent libelli, qui hanc doctrinā puerilem profitentur, ijꝑ a præstantissimis uiris conscripti, ei zelum quidem permitto suum, modo ipse uicissim meum mihi officium non adimat. Similis zelus fuit in Iosuah filio Nun, qui cum audiret Eldad & Medad in castris Dei prophetare, uoluit ut Moses eos prohiberet. Sed quid adhæc Moses? Vtinam (inquit) uniuersus populus domini Prophetae essent, & quod daret Iehouah Spiritum suum super eos. Iosuah zelo Mosis ægre tulit, quod alij, quā ipse, prophetarēt. Sed Moses zelo Dei optat omnib. Propheticum spiritum, ut omnes coniunctis uiribus regnum Christi ornent & amplificēt. Ego igitur etsi Mosen assequi nō possum: non tamen iudico mihi tacendum esse, cum Eldad & Medad sit etiam locus prophetandi in castris Dei. At si quis non Iosuae zelo, sed leuitate animi nostrum improbet factum, ei responsum uolo, quod olim Demosthenes

P R A E F A T I O .

Athenes suis Sycophantis respondit,  
Ἐπιτιμᾶν μὲν πάντος ἐστὶ, συμβεβλῆσθαι δὲ οὐ  
πάντος.

Tibi autem uenerande Praeceptor  
hanc meam Catechesin dedicare uolui,  
ut extaret meae erga te gratitudinis  
testimonium. Tua enim institutione  
& ope ita me, dum sub tua ferula fui,  
adiutum fuisse agnosco & profiteor,  
ut, progressus qualescunque secuti sunt,  
tibi haud immerito acceptos feram.  
Nam me non solum in religionis rudi-  
mentis fideliter instituisti: uerum etiam  
cum fortunae meae essent plus satis te-  
nues, benigne me tuis facultatibus sub-  
leuasti. Hanc tuam liberalem manum  
hodie quoque exosculantur multi, qui  
apud uos literas & pietatem sub pra-  
ceptoribus, eruditione & pietate pra-  
stantibus, Magistro Petro Paulino, &  
Magistro Andrea Laurentio discunt.  
Prudenter enim & pie illud poetae cogi-  
tas: Quas dederis solas semper habe-  
bis opes. Oro patrem Domini nostri  
Iesu Christi, ut te & illos adeoque om-  
nes

P R A E F A T I O.

uenerandos collegas capituli uestri, in  
sui nominis gloriam, & scholæ ue-  
stræ optime constitutæ conseruatione  
nem, quam diutissime incolumes &, in  
uera pietate concordēs, constan-

tesq; seruare uelit. Hafniæ

4. die decembris, an-

no a Christo

nato

M. D. LX.

# CATECHISMI

## QVÆSTIONES.

*Unde dicitur Catechesis?*

*Κατηχεῖν* : quod est proprie, non scripto sed voce viva doctrinam aliquam tradere.

*Unde sumtum est vocabulum*

*κατηχεῖν?*

Ab antiquo Sacerdotum more, qui mysteria religionis non commendarunt scriptis, sed ea viva tradiderunt voce: idq; ijs tantum qui suis sacris erant initiati: quem morem, etiam olim fuisse sanctis patribus ante Mosen apparet.

*Teneo vim vocabuli, dic iã clarè quid sit Christiana catechesis.*

Christiana catechesis, est instructio in Christiana religione, quæ fit viva voce docentis.

*Quomodo vocatur qui ita docet?*

Catecheta, & qui docetur, Catechumenus.

*Quid quaeso summam do-  
cet Catechesis Christiana?*

*Quod quemadmodum propter peccatum homi-  
nes à Deo damnati, à renatu per fidem Christi li-  
berentur : ita liberati Deum vero cultu in hac  
vita colant, ac tandem resuscitatis corporibus  
per Christum vita fruuntur eterna.*

*Video scopum Christianae ca-  
techeseos, age capita eius do-  
ctrinae distincte trade.*

*Uniuersa Catechesis continet doctrinam dupli-  
cem, videlicet rerum & signorum : ad haec enim  
duo tanquam ad summa capita, omnia referri  
debent, quae in christiana catechesi traduntur.*

*Qua est doctrina rerum?*

*Lex seu Decalogus, Symbolum apostolicum,  
& orandi forma à Christo praescripta.*

*Qua est doctrina signorum?*

*Doctrina de baptismo & caena domini, quae  
duo sacramenta ab ecclesia dicuntur, cuius appel-  
lationis ratio suo loco explicabitur.*

*Quae sunt partes Catecheseos?*

*Quinq;*

Quinq; numerantur, doctrina legis seu Decalogus, Symbolum, Oratio, Baptismus & Cœna.

*Quomodo hæ partes scopo Catecheseos seruiunt?*

Ut lex Deum monstrat, peccatum reuelat, damnationem ostendit, verum Dei cultum præscribit: Ita Symbolum liberationem à peccato per Christum fieri indicat: quæ liberatio fide apprehensa, ut oratione expetitur: ita sacramentis ob-signatur & confirmatur, donec tandem in possessionem vitæ æternæ per Christum peruenerimus.

DE PRIMA PARTE CATECHISMI.

*Quæ est prima pars Catechismi?*

Doctrina legis diuinæ seu Decalogus.

*Quid habes quod necessario de lege Dei tenendum est?*

Id paucis quibusdam questionibus complectar.

*Quæ sunt?*

I Quam varia sit acceptio vocabuli legis.



- 2 *Quid sit lex moralis , quæ decalogus dicitur.*  
 3 *An legi morali quisquam satisfacere possit.*  
 4 *Quisnam sit legis diuinæ vsus.*  
 5 *Quatenus lex sit abrogata.*  
 6 *Quomodo Christus legem impleuerit.*  
 7 *Quæ sit legis summa.*  
 8 *Quæ legis appendices.*  
 9 *Quæ legis diuisio.*  
 10 *Cur lex Dei lapideis tabulis sit insculpta.*  
 11 *Quodnam sit discrimen legis & Euangelij.*  
 12 *Quæ sint partes legis , & quæ partium legis explicatio.*

#### DE PRIMA QVÆSTIONE.

*Quasnam habet acceptiones  
vocabulum legis?*

- 1 *In genere quamuis doctrinam significat, Nam Hebræis nomen à docendo habet , quibus lex dicitur Thora à Iara , id est, docuit, vt in illo : lex domini immaculata , id est, doctrina cælestis est pura.*  
 2 *Quoties opponitur lex Prophetis , ipsum Mo- sen cum pentateucho designat , vt in illo dicto Pauli ad Rom. 3. Iusticia fidei testimonium habet in lege & in Prophetis.*

3. *Quando*

3 Quando opponitur lex Euangelio, pro lege morali & eius appendicibus sumitur, vt in illo Pauli: Nos iustificamur fide absq; operibus legis.

4 Lex opposita gratiae iram Dei & damnationem significat, vt in illo Pauli: Nos non sumus sub lege, sed sub gratia.

5 Cum opponitur lex veritati, umbras legales notat, vt in illo Iohannis: Lex per Moſen data est, gratia et veritas per I E S V M C H R I S T V M. Hic lex, & damnationem cui opponitur gratia: & umbras legales, quibus opponitur veritas, significat.

6 Lex opposita tempore Christi exhibiti, notat totam Moſis politiam cum regno & sacerdotio, vt in illo Pauli ad Gal. 3. Priusquam venit fides sub lege custodiebamur.

7 Lex interdum accipitur pro imperio seu vi ad aliquid impellendi, quae vis intelligitur ex casu addito, vt cum dicitur, lex peccati, lex membrorum, lex mentis, lex spiritus. in quibus dictis lex per Metonymiam pro vi impellente accipitur, idq; nunc in bonam partem, nunc in malam.

8 Lex interdum pro eo cui additur accipitur, vt cum dicitur ad Rom. 3. Lex fidei, id est, fides, & lex operum, id est, opera. Haec varia sunt vocabuli legis significata, quorum applicatio ex peristasi locorum facile intelligi potest.

## DE SECUNDA QVAESTIONE.

*Quid est lex moralis quam decalogum appellamus?*

*Est præceptio diuina requirens ab omni homine perfectam, puram, & perpetuam obædientiam erga Deum, quæ vt promittit vitam & salutem obædientibus: ita mortem & damnationem comminatur ijs, qui hanc obædientiam non præstant. Vocatur autem moralis, quia perpetua viuendi regula est ad quam mores cuiusq; sunt exigendi.*

## DE TERTIA QVAEST.

*Potestne quisquam legi morali in hac vita satisfacere?*

*Nemo sanè præter Christum solum.*

*Quomodo id probas?*

*Ex Paulo quatuor demonstrationes colliguntur, quarum prima à naturæ prauitate sumitur, qui enim fieri potest, vt ex impuro & fetido fonte, pura & limpida aqua hauriatur?*

*2 Sumitur ex Vniuersali experientia, Nam cum*

cum omnes morti, quæ est pœna violatæ legis obnoxij sunt, sequitur totum genus humanum transgressionis legis diuinæ reum esse.

3 Sumitur ex scripturæ testimonio, qualia plurima sunt, Omnes declinauerunt & inutiles facti sunt: Item non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

4 Sumitur à necessitate victimæ Christi, vnde Galat. 2. Si ex operibus est iusticia, Christus frustra mortuus est. Proinde cum Christus non sit frustra mortuus, sequitur neminem ex operibus iustificari posse, Nemo igitur legi satisfacit.

Has quatuor demonstrationes memoriæ causa, his versibus concludo.

Natura, experientia, verbum, victima monstrant,

Quòd nullus lege iustificetur homo.

DE QVARTA QVÆSTIONE.

*Quis est vsus legis moralis?*

Legis moralis vsus triplex est, externus, internus & spiritualis. Primus ad externum hominem pertinet, quem lex externe regit. Secundus internum hominem spectat, quem lex accusat, damnat, reumq; corâ Deo peragit. Tertius ad nouû hominem refertur, quæ lex in cultu Dei vero dirigit,

dirigit, Est enim lex sanctis norma vitæ. Hunc legis triplicem usum, hoc disticho complector:

Lex hominem regit externum, veterisque  
reuelat

Errores, vitæ est regula sancta nouo.

*Cur primum usum vocas  
externum?*

Quia ad externum hominem in hac vitæ consuetudine pertinet, qui usus propter quatuor causas necessarius est, quas hoc versu complector.

Mandatum, pœnæ, pax publica, dux ad Iesum.

Confirmatur autem hic usus ad Galatas 5. his verbis. Lex pædagogus ad Christum.

*Cur secundum usum vocas  
internum?*

Quia pertinet ad conscientiam hominis, quam ream arguit & damnat, Lex enim regula est, ad quam conscientia singula opera, quæ à nobis sunt, exigit & examinat. Cum enim quid à nobis factum sit iuxta regulam legis, iudicio mentis approbatur, quod iudicium in corde sequitur leticia: Contra si factum aberrat à legis regula, iudicio mentis damnatur, quod iudicium sequitur  
in corde

in corde dolor, & pavor propter imminentem  
pœnam. Confirmatur autem hic vsus Rom. 3. Per  
legem est agnitio peccati.

*Cur tertium vocas spiritu-  
alem?*

Quia ad hominem spiritu renatum pertinet,  
quem instruit in vero Dei cultu, præscribitq; cer-  
tam viuendi regulam. Confirmatur hic vsus Ie-  
remiæ 20. In præceptis meis ambulate.

DE QVINTA QVÆSTIONE.

*Quatenus lex est abroga-  
ta?*

Lex triplex est, *Moralis, Ceremonialis, &*  
*Iudicialis.* Prima habet duas partes, quæ sunt,  
*Norma vitæ & appendix de promissionibus &*  
*comminationibus.* *Norma vitæ* nec in hac vita  
nec in futura abolebitur. Deus enim perpetuam  
dilectionem erga se & suam creaturam suo ordi-  
ne requirit. *Comminationes* conuersis sunt aboli-  
tæ, iuxta illud Pauli: Non sumus sub lege sed sub  
gratia, Ita ad Galatas 3. Christus pro nobis factus  
est maledictum. *Promissiones* autem fiunt pijs  
rate

rata in Christo. Ceterum non conuersi, legi totum cum sua damnatoria sententia obnoxij sunt, iuxta illud: Maledictus est qui non fecerit omnia quae scripta sunt in libro legis.

Lex ceremonialis abolita est, quo ad usum, non quo ad significationem. Nam res quas figurabant ceremoniae, sunt aeternae.

Lex iudicialis quo ad usum est libera, potest enim ea magistratus uti vel non uti, At quantum ad significationem attinet, perpetua est. Nam politia Moysis, regni Christi typus erat.

#### DE SEXTA QVAESTIONE.

### Quomodo Christus impleuisse legem dicitur?

Quantum ad Moralem attinet, cui omnes homines obnoxij sunt, primum respondeo, quod eam quatuor modis implevit, 1. Perfecite obediendo legi Dei, nullum enim unquam peccatum contra legem Dei fecit, sed eam plena erga Deum & proximum dilectione adimplevit. 2. Derivando in se ius damnatorium legis. 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. 3. Infundendo conuersis spiritum sanctum, ut ipsi iam quae legis sunt facerentur.

re incipiant, Qui enim spiritu Dei ducuntur hi sunt filij Dei. 4 Transformando nos plene ad suam similitudinem, quod futurum est in aeterna vita, unde illud Pauli ad Gal. Nos spiritu ex fide spem iusticiae expectamus. Ceremonialem autem legem implevit Dominus, dum id quod ceremonijs signatum erat, opere complevit. Idem de Iudiciali lege sentiendum est. Ceterum modus impletæ per Christum legis moralis hoc disticho complexus sum.

Implet dum præstat, dum ius damnabile tollit,  
Pneumate dum donat, dum sua regna dabit.

DE SEPTIMA QVÆSTIONE.

*Quæ est summa legis Moralis?*

Dilectio Dei & proximi, Sic enim Paulus ait I. Timoth. I. Summa legis est dilectio. idem probatur Deut. 6. & Matthæi 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut teipsum.

*An non aliud requirit lex quam affectum dilectionis?*

Dilectionis voce Synecdochicos intelligitur om-



tur omnis affectus coniunctus cum dilectione, & omnis actio interior & exterior, quam naturaliter requirit dilectio, per quam dilectio vera se prout & veluti conspiciendam praebet. ut enim qui diligit Deum, eum simul timet, colit, praedicat, inuocat, & patienter ab eo promissa expectat, omnia quae grata illi senserit faciens: ita qui proximum amat, superiores se reueretur, pares complectitur, inferiores subleuat, atque omnia omnibus quae utilia senserit, & vult & facit. Potest & ita responderi ad quaestionem, quod lex doceat in summa, quid expetendum & quid fugiendum sit, ut enim expetendum est honestum: ita quod turpe est, fugiendum est: & hac ratione summa legis hoc versu continetur.

Quis sit honesti, quis turpis fons lege docetur.

Quis autem sit honestatis, & contra quis turpitudinis fons, continetur hoc disticho.

Primus honestatis fons est dilectio: contra,

Turpia progenerat seu cupidus tibi.

#### DE OCTAVA QVAESTIONE.

*Quae sunt legis appendices?*

Ego sum Dominus Deus tuus, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt

runt me, & non custodiunt mandata mea:  
Et faciens misericordiam in millia his, qui  
diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

HVC & illa dicta pertinent: Qui fecerit ea,  
viuet in eis. Et: Maledictus omnis qui non per-  
manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro le-  
gis. harum appendicum vsus vide supra in decla-  
ratione quartæ quæstionis.

DE NONA QVÆSTIONE.

*Quæ est legis diuinæ diuisio?*

Plures sunt legis diuinæ diuisiones, quarum  
tres sunt præcipuæ.

PRIMA: legum diuinarum, Alia est Cere-  
monialis, alia Iudicialis, alia Moralis.

*Quæ est Ceremonialis?*

Quæ ritus ecclesiasticos, ceremonias, & sa-  
crificia gubernat, Cuius vsus in templo fuit So-  
lomonis.

*Quæ est Iudicialis?*

Quæ iudicia & controuersias forenses mo-  
deratur.

*Quæ est Moralis?*

Quæ mores omnium regit, & normam viuen-  
di vni-

di vniuersalem hominibus præscribit.

SECUNDA. Legum alia est præceptiua, vt quæ præcipit aliquid operis fieri. Alia prohibitiua, vt quæ prohibet quæ fieri non conuenit.

TERTIA. Legum alia immediate Deum respicit. Alia circa officia hominibus debita, ver-  
satur.

### DE DECIMA QVÆSTIONE.

*Cur lex in lapideis tabulis  
est exarata?*

Hoc Symbolicum est : Monet enim hoc Sym-  
bolo Deus, tantam duritiem nostrorum cordium  
esse, vt non prius lex Dei in ea inscribi possit,  
quàm Deus suo digito ea adaptauerit, legemq;  
suam ipse ihs inscripserit. hæc symbolica significa-  
tio hoc disticho continetur.

*Saxea lex Mosis, tibi saxea pectora signat,  
Mollia quæ digitus fecerit ipse Dei.*

Deinde etiam lapidearum tabularum symbolo  
significatur, quod Deus nolit vlla vetustate ab-  
olere obædientiam, quam in lege morali requirit.

### DE UNDECIMA QVÆ- stione.

*Quod*

*Quodnam est discrimen legis & Evangelij?*

Quadruplex est: Primum sumitur à noticia, quia lex natura quodammodo nota est: Evangelium autem nullo modo rationis acumine percipitur. At si quis quærit, cur lata sit lex, quæ natura nota est. Is sciat ob tres causas id factum esse: Quarum prima est, ut legis naturæ autoritas, noua hac publicatione confirmaretur. 2. Ut quæ per consuetudinem peccandi & sceleratorum multitudinem latere cœperant, manifestarentur. 3. Ut constaret certa Deum colendi ratio, ne pijs Ethnicis & Philosophicis Superstitionibus à vero Dei cultu abducerentur. Has tres causas memoriæ causa hoc disticho complector.

Cur data lex nota est? ut confirmetur, ut  
altè

Mentibus insideat: ut pia corda regat.

Secundum sumitur à promissionum differentia, promissio enim legalis habet coniunctam conditionem impletæ legis: Sed promissio Evangelij, non habet annexam conditionem impletæ legis, Sed tantum fidei quæ oblatum per Evangelium beneficium apprehendit, ac postea suos germinos edit fructus.

Tertium sumitur à differentia virtutum utriusque, Lex enim occidit, & est ministerium mortis,

*tis, Euangelium autem uiuificat, & est uita misterium 2. Cor. 2.*

*Quartum sumitur ab obiectis, legis enim comminatio ad impenitentes & non ad conuersos pertinet: Euangelij promissio ad pœnitentes, & non ad impenitentes pertinet, quemadmodum propositis exemplis docet Christus Lucæ 7. Matth. 22. Nam apud Lucam testatur Christus ad mulierem pœnitentem pertinere gratiam Euangelij, Et apud Mattheum testatur comminationem legis pertinere ad superbum legisperitum. Hoc quadruplex legis & Euangelij discrimen complector hoc disticho.*

*Noticia & promissio, vis, subiectaq; quantum*

*Lex ab Euangelio differat, ecce docent.*

#### DE DVODECIMA questione.

*Quot sunt partes legis diuinae?*

*Decem sunt Decalogi præcepta, quæ duobus continentur capitibus, quæ sunt. Dilige Iehouab Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum ut teipsum.*

*Quid*

*Quid prius caput continet?*

- 1 Mandatum homini datum.
- 2 Affectum dilectionis.
- 3 Obiectū ad quod ille affectus referendus est.
- 4 Causa indicatur, Cum dicitur : Dominum Deum tuum, ista enim pronomina causas dilectionis insinuant.
- 5 Modum dilectionis, videlicet quod ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Eadem quinq; continentur secundo capite.

Christus dicit in Euangelio, secundum simile esse priori, quomodo id intelligendum sit, expone.

Non in ordine, non in obiecto, non in dilectionis gradu, ista similitudo est posita, Nam dilectio Dei ordine prior est, obiecto dignior, & gradu superior dilectione hominis. Est enim Deus prae omnibus diligendus & ante omnia & super omnia. Sed simile in affectu, Nam utrumq; requirit dilectionem, In obligatione, Nam utrumq; obligat vel ad obœdientiam vel ad penam, Et in consecutione obœdientie iuxta illud Iohannis dictum : Qui dicit se diligere Deum, & proximum suum odit, mendax est.

*Da methodum explicandi  
singula præcepta.*

In singulorum præceptorum explicatione hæc  
quinque dici possunt.

- 1 Quid mandet lex.
- 2 Quid vetet.
- 3 Quam habeat obædientia promissionem.
- 4 Quam habeat violatio legis pœnam.
- 5 Quis sit usus legis externus, internus, &  
spiritualis. Hæc quinque disticho hoc complector.

Lex mandat, prohibet, promittit, & indicat  
iram,

Additur his usus qui meditandus erit.

#### DE PRIMO PRÆCEPTO.

*Recita primum præceptum?*

Ego sum Iehouah Deus tuus, qui eduxi  
te de terra Aegypti: Non habebis Deos ali-  
enos coram me.

*Quæ est ratio huius præcepti?*

Quod Deus conditor rerum, solus sit omnium  
bonorum fons & dator.

*Quis Finis?*

Ut omni idololatria et impietate abiecta, ipse  
solus habeatur Deus noster, & solus à nobis vero  
cultu colatur.

*Quid continet hæc legis verba?*

Duo. Proœmium, & expositionem præcepti :  
proœmium enim est,

Ego Iehoua Deus tuus qui eduxi te de  
terra Aegypti.

Expositio autem præcepti,

Non habebis Deos alienos coram me.

*Quid sibi vult proœmium?*

Hoc continet duo : Primum, modum cogno-  
scendi Deum per verbum & beneficium Dei: ver-  
bum est: Ego Iehouah Deus tuus &c.

Beneficium : Qui eduxi te de terra Aegypti.  
Deinde continet proœmium confirmationem legis  
diuinæ à potestate, promissione & beneficijs præ-  
stitis, De quibus latius vide Enchiridion nostrum.

*Quid habet expositio?*

Hæc vt meminit alienorum Deorum & veri  
Dei : ita præcipit vt verum Deum habeas, & ali-  
enos Deos fugias seu non habeas.

*Quid est habere Deum?*

Est mente, affectu, voluntate, adeoq; omnibus  
viribus Deum complecti.

*Quomodo mente complecti-  
mur Deum?*



Quando in mente est vera noticia Dei, videlicet quod sit vnus aternus Deus, pater, λόγος, & spiritus sanctus, quod hic Deus sit fons omnis boni, quod suas creaturas amet, quod ad se confurgentes iuxta promissiones velit iuuare: Et contra contumaces punire. Hæc in genere vera Dei noticia est, quæ in duas formas distinguenda est. Est enim alia noticia Dei legalis, alia Evangelica.

### Quomodo affectu amplectimur Deum?

Cum ex vera Dei noticia nascitur affectus congruens noticiae, vt timor Dei, fiducia, dilectio, spes: Sed discernendum est inter fiduciam legalem & Evangelicam, quarum illa nascitur ex noticia Dei legali, hæc oritur ex noticia Dei Evangelica.

### Quomodo Deum complectimur voluntate?

Cum ex mentis recto iudicio & puro animi affectu nascitur voluntatis alacritas ad imperandum omnibus viribus, vt Deo obædientiam præstent.

Quo-

*Quomodo Deum comple-  
ctimur viribus?*

*Cum ipsæ vires interiores & exteriores volun-  
tati alacriter imperanti, quæ mens rectè iudicat,  
& affectus purè suadet, obsequuntur & impera-  
ta præstant.*

*Quæ ergo opera in hac lege  
præcipiuntur?*

*Ea colliguntur ex ijs quæ dicta sunt, videlicet  
amor verbi Dei, noticia Dei, timor, fiducia, di-  
lectio, alacris voluntas, & studium omnium  
virium obædiendi Deo.*

*Quæ opera prohibentur  
hac lege?*

*Eæ partim continentur in hoc dicto, habere  
Deos alienos: partim ex Antithesi operum præ-  
ceptorum extruuntur.*

*Quid est ergo Deus alie-  
nus, & Quid est habere  
Deos alienos?*

*Cum in plurali dicit alienos Deos significat  
multa esse, quæ hominibus loco Dei esse soleant.*

Est autem loco Dei homini, quidquid homo fingit sibi ex quo pendet, & unde auxilium sperat, & opem, absq; vero timore ueri Dei. Unde auaricia à Diuo Paulo idololatria dicitur.

### Possuntne statui certa genera alienorum Deorum?

Possunt quidem: Primum enim alieni Dii sunt idola gentium.

2 Sancti, cum illis ab hominibus diuinus honos exhibetur.

3 Bona interna, & externa animi, corporis, & fortunæ, Adeoq; omne in quo homines gloriari solent. Quicumq;, enim hæc mente, affectu, voluntate amplectitur absq; timore Dei, alienos dicitur habere Deos. Licet quidem, imo oportet creaturas Dei suo ordine diligere, modo illius dilectionis fons sit verus Dei timor, idola autem, quæ sunt opera Satanae perpetuo execrari oportet.

### Quæ opera ex Antithesi prohibita esse colligis?

Cum amore uerbi Dei pugnat odium uerbi: cum noticia Dei, pugnat ignorantia Dei, & omnis falsa persuasio de Deo, ut Philosophorum & Hereticorum, ut qui de diuinitate non recte sentiunt, In quorum numero est Epicurus, &  
græci

græci Philosophi omnes. Item qui de personis non recte iudicant, vt Arius, Sabellius & multi alij: Item qui de voluntate Dei perperam sentiunt, vt qui de gubernatione, prouidentia, promissionibus & comminationibus, erroneum habent iudicium.

Cum timore pugnat securitas, cum fide diffidentia, cum dilectione fremitus sub cruce, Cum spe desperatio & ἀσέπεια, Cum alacritate voluntatis, auersio voluntatis, & cum virium promptitudine ad obædiendum ignauia, & torpor & quæ græce dicitur ἀνείθεια.

*Quæ sunt præmia obædientie huius præcepti?*

Fauor Dei & misericordia iuxta promissiones legi additas: verum quia nemo legi satisfacit, præmia promissa tantummodo conferuntur conuersis.

*Quæ pœna violatæ legis huius?*

Maledictio, & damnatio, & visitatio iniquitatis in tertiam & quartam generationem iuxta comminationes huic legi additas.

*Quis est vsus huius legis?*

Vt examines tuam conscientiam ad legis

normam, & sententiam legis mente recolas hoc pacto. Primò, in hoc examine cum videas te legi non satisfacisse, agnosce peccatum tuum, agnosce te legis diuinæ transgressorem esse. Secundò, agnosce sententiam legis, aduersus te latam, iustam esse. Tertio, fuge peccatum, expauesce ad iram Dei, & dole quod Deum tuo peccato offenderis. Quarto, confugito vera fide ad Christum peccati expiatorem, & veniam delicti tua fiducia expete. Quintò, Nactus remissionem peccatorum fide CHRISTI, redi ad regulam legis, & iuxta illam vitam tuam quantum quidem id fieri potest componito, ac ita cum Dauide orato: Spiritum rectum innoua in visceribus meis, Et da mihi vt ambulem in lege tua. Hæc noua obedientia etsi imperfecta est, placet tamen in renatis propter Christum. Hic vsus simili modo, accommodari etiam debet reliquis præceptis.

*Quid, estne pars primi præcepti prohibitio sculptilium?*

Etsi reuera secunda lex est, quemadmodum omnes veteres tradunt, & confirmatur ex Deuteronomio: tamen ne cum consuetudine recepta ecclesiarum nostrarum pugnare videamur, coniungamus hanc legem cum prima, præsertim cum  
nihil

nihil referat, siue distinguatur à prima, siue coniungatur, modo ex Decalogo non excludatur.

*Quid ergo interdicto sculptilium prohibetur?*

Duo hoc interdicto prohibentur: Unum ne Deum vlla effigie exprimere tentemus.

*Qua est huius prohibitionis ratio?*

Effigies Dei manu hominis expressa cedit in contumeliam diuinæ maiestatis.

*Qui sic?*

Quia Deus est expers corporis, inuisibilis, & infinitus: Effigies autem omnis ex materia corporea fit, & est visibilis, & terminis clauditur, quare in Deum summè contumeliosa est.

Alterum quod prohibetur est, ne incuruemus nos coram vlllo idolo causa religionis.

*Qua est huius interdicti ratio?*

Is qui hoc facit, Primum inuertit naturæ ordinem, dum subiicit se infra creaturas, quarum dominus est constitutus immemor suæ dignitatis.

Deinde sacrilegium committit, tribuens creaturae cultum, qui soli creatori debetur. Glorificate inquit Deum in spiritu, & in corpore vestro quae sunt Dei. Quicumque igitur coram lignis & lapidibus religionis causa procumbunt, serpentem adorant, qui ligni fructu primos occidit parentes.

*Quae igitur opera hic mandantur?*

Ut corpore & anima nos coram Deo prosternamus, idque ex vero Dei timore: Omnis enim obaedientia ex timore Dei proficisci debet.

*Quae praemia servata, & quae poena huius legis violata sunt?*

Quia obaedientia & inobaedientia huius legis manat ex obaedientia vel inobaedientia primae legis, eadem praemia hic promittuntur obaedientibus, & eadem poena proponuntur transgressoribus.

*Quis est usus huius legis?*

Idem qui primae est.

QVAESTIO DE IMAGINIBUS & idolis.

Liceat

*Licetne ergo vlla habere idola seu imagines?*

Imo licet. Verum ne hic erretur, sciendum est esse triplicem usum imaginum: Superstitiosum, Typicum & Politicum: Superstitiosus usus solus damnatur verbo Dei, ubicunq; in scriptura vel imagines, vel sculptilia damnantur. Typicus usus erectione aenei serpentis in deserto, & Cherubin in propiciatorio confirmatur. Politicus usus triplex est: Historicus, Symbolicus, & qui ornatus causa adhibetur: horum nullus est prohibitus. Historicus qui ad intelligendas rectius rerum descriptiones, & ad memoriam rerum conservandam facit, exemplo sanctorum patrum confirmatur, qui statuas erexerunt in rerum gestarum memoriam. Symbolicus, qui de re alia nos admonet, vt imago in moneta Cesaris admonebat Iudeos, quod Cesari essent subiecti. Confirmatur Christi factio, qui monetam Cesaris in manus accipiens, non damnauit imaginem. Circumferebant etiam Apostoli monetam Cesaris imagine insignitam, qualem & Petrus de ore piscis accepit. Qui ornatus causa adhibetur, Solomonis confirmatur exemplo, & Dei etiam mandato, qui varijs picturis voluit suum ornari templum. Quare hic usus reprehendi non debet.



*Sed quid dicis de trinitatis imagine?*

Prophanum inuentum est, & voce Dei prohibitum. verum si loco primæ personæ poneretur nubes, vnde vox sonuit, adscriptis verbis: Hic est filius meus dilectus: & deinde Columba, & effigies Christi hominis exprimeretur, historiæ conseruandæ gratia, nihil haberet impietatis. Sed pingere Deum Patrem senis alicuius barbati forma, magna est impietas, prohibita voce Dei.

*Suntne imagines, libri laicorum?*

Concedo id quidem, si tantum historiæ causis, & non superstitionis gratia, adhibeantur. Verum in mensa Dominicæ Cænæ, sculptilia, vel imagines poni posse sine periculo non arbitror, præsertim cum homines nimis proni sunt in superstitionum labyrinthos.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

*Quotnam est secundum præceptum?*

NON

Non assumes nomen Domini Dei tui in-  
uanum; Cuius Antithesis est. Assumes no-  
men Domini Dei tui legitime & recte, id  
est, sanctificabis nomen Dei.

*Quæ est ratio huius præce-  
pti?*

Quòd Deus conditor rerum, solus sit omnium  
bonorum fons & dator.

*Quis Finis?*

Ut maiestas nominis Dei inter homines ha-  
beat sacrosancta.

*Quid est nomen Dei?*

Est cum ipse Deus, tum quidquid de eo digne  
dici potest, utpote omne, quod in eius noticiam,  
famam & gloriam vergat.

*Quæ opera hac lege man-  
dantur?*

Omnia quæ faciunt ad nominis Dei noticiam,  
famam, & gloriam promouendam inter homi-  
nes: ut sunt.

1 Inuocatio.

2 Prædi-

- 2 Prædicatio factorum Dei.
- 3 Gratiarum actio.
- 4 Glorificatio.
- 5 Confessio.
- 6 Cultus iurisiurandi.

*Quæ opera prohibentur hac lege?*

- 1 Quidquid pugnat cum vera inuocatione Dei, ut non inuocare, sine fide inuocare, frigide inuocare, non intellectis uerbis orare, inuocare sanctos.
- 2 Quidquid pugnat cum gratiarum actione, ut non agere gratias Deo, Pharisaica ostentatio sine fide, Boatus in templis, & conducticia opera Monachorum & sacrificulorum, qui fumum vendunt.
- 3 Quidquid pugnat cum prædicatione operum, & iudiciorum Dei, ut iudicia & opera Dei non recte estimare, silere beneficia Dei.
- 4 Quidquid pugnat cum glorificatione, ut scandalosa vita, schismata, & contentiones.
- 5 Quidquid pugnat cum confessione, ut abnegatio Dei, fidem celare propter hominum amicitiam, vel odium, non ingenue fateri, cui religioni quis sit addictus.
- 6 Quidquid pugnat cum cultu iurisiurandi, ut periuratio, execratio, in iurando leuitas.

De præmijs, pœnis, & usu, vide primum præceptum.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

*Quodnam est tertium Præceptum?*

Memento ut diem sabbati sanctifices.

*Quæ est ratio huius Præcepti?*

Quòd Deus conditor rerum solus omnium bonorum sit fons & dator.

*Quis Finis?*

Ut proprijs operibus emortui, veram sanctificationem operibus à Deo mandatis meditantes, sinamus nos à Deo sanctificari.

*Quid est sabbatum? Quid sanctificare? & quid sabbatum sanctificare?*

Sabbatum est septimus septimanae dies, in quo Dominus quieuit posteaquam sex diebus creasset cælum & terram. Sanctificare in genere est aliquid segregare à prophano usu, purum & incontaminatum servare, adeoq; usui sacro, cultuiq; divino

diuino destinare. Proinde sabbatum sanctificari est septimum septimanæ diem abusu prophano segregare, illum purum & incontaminatum seruando, sacro ac diuino cultui destinare.

*An non Mosaicum sabbatum est abolitum?*

Est quidem quantum ad ceremoniam, & certæ diei seruata à Iudeis obseruationem: Sed non quantum ad Genus attinet, Symbolicam significationem, & Typum.

*Quodnam est illud genus?*

Ut in singulis septimanis, vnum aliquem diem segregemus à prophano vsu, & illum diuino cultui destinemus, atq; adeo apostolos imitemur, qui primum diem septimanæ in locum vltimi subrogarunt, quem ideo vocarunt *dominica*, quia & Dominus eo die resurrexit, & cultui Dei is dies destinari debet, quemadmodum ex apocalypsi patet.

*Quæ est symbolica significatio, seu typus?*

Significatio sabbati commode in triplex tempus diuidi potest, Præteritum, Præsens, & Futurum:

turum: Si præteritum spectes, sabbatum fuit typus quietis Dei ab operibus suis post rerum creationem, unde *מנוחת עולמי* rerum creatarum fuit. Deinde typus fuit requiei populi Dei in terra Canaan, post multos in Aegypto exhaustos labores, quemadmodum ex Psalmo, Epistola ad Hebræos indicat. Præterea adumbratio fuit Sabbatismi domini requiescentis in sepulcro peractis redemptionis nostræ laboribus. Si præsens tempus Ecclesiæ respicias, Sabbatum fuit figura quietis conscientiarum à peccatorum procellis, post liberationem à regno Diaboli per Christum ducem. Deinde signum est, quòd Deus nos sanctificet, iuxta illud Exod. 21. Ezech. 20. Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me & eos, ut scirent, quòd sim Iehouah qui sanctifico eos: huius sanctificationis & nos admoneant nostra festa.

Postremo, adumbrat vitam sanctorum perpetuo in meditatione quietis cœlestis transigendam.

Si tempus futurum respicias, Sabbatum fuit typus consummationis mundi, Quemadmodum enim sex dies operationis Dei in creatione mundi adumbrabant sex annorum millia, iuxta dictum Eliæ: Ita sabbatum significat aternitatem quietis in cœlo, & sabbatissimum illum beatum perpetuo duraturum, quem sancti expectant.

*Quibus in reb. sita erat obœdiētia sabbati apud Judæos?*

*In vacatione totius familiæ ab operibus seruilibus, in ceremoniarum & sacrificiorum obseruatione, in meditatione legis Dei, in fidei & caritatis exercitijs. Ut ergo ista opera præcepta erant, ita his contraria prohibita.*

DE FESTIS CHRISTIANORUM.

*Quotuplicia sunt festa Christianorum?*

*Triplicia. Dominicus dies, Festa saluatoris, Memoria sanctorum.*

*Cur Dominicus dies obseruatur?*

*Conseruandi ministerij, exercendæ pietatis, ordinis & disciplinæ gratia.*

*Cur festa saluatoris obseruantur?*

*Primò, vt ordine discatur historia. 2. vt sigillatim perpendantur beneficia. 3. vt beneficijs recte vtamur, in Dei gloriam, & nostram salutem.*

*Cur festa celebrantur san-  
ctorum?*

Multis sane de causis. 1. Ut cognoscatur histo-  
ria Ecclesiae. 2. Ut cogitentur beneficia Dei erga  
membra ecclesiae. 3. Ut gratiae Deo pro ipsis agan-  
tur. 4. Ut varij sanctorum casus perpendantur.  
5. Ut sanctos imitemur in paenitentia, vita, cultu,  
confessione, constantia, patientia & alijs virtu-  
tibus. 6. Ut pijs suspirijs sanctorum expetamus  
consortium.

*Quae sunt opera Christiano-  
rum festorum?*

1. Abstinere ab operibus impediens sanctifi-  
cationem sabbati. 2. Sacris caetibus reuerenter  
interesse. 3. Partem doctrinae caelestis, quam  
proponit Ecclesia pie meditari. 4. Ceremonijs  
cum summa grauitate & religione uti. 5. San-  
ctificationi animae & corporis studere per opera  
primi & secundi praeccepti. 6. Familiam suam  
pie exercere, instruendo, monendo & corripien-  
do. 7. Exemplo Christi & sanctorum, opera ca-  
ritatis exercere visitando agrotos, consolando tri-  
stes, iuuando egenos.

*Quae opera prohibentur?*

Cum operibus praecceptis pugnantia.



Ut cum primo, seruilia opera impediencia ministerium, & voluptuaria.

Cum secundo, vel non interesse sacris, vel sine fructu interesse, vel cum scandalo interesse.

Cum tertio, docentem non audire, sed vel contemnere, vel culpate, si culpa vacat.

Cum quarto, vel nunquam vti sacramentis, vel sine fide vti, vel male de sacramentis sentire, vel honestas & graues Ceremonias calumniari.

Cum quinto, Impuritati animæ vel corporis indulgere.

Cum sexto, vel familiam negligere, vel eam auocare à sacris, vel prauè instituere, vel non explorare quantum in pietate proficiat.

Cum septimo, nulla ægrotorum, tristium, & egenorum cura tangi, nullis caritatis operibus occupari.

*Quæ sunt præmia seruata, et quæ pœnæ violatæ huius legis?*

Præmia & pœnæ sunt hæc specialia, vt enim præmium seruati sabbati est profectus in pietate: ita pœnæ eiusdem violati est pietatis naufragium, & piorum exercitiorum iactura.

Usus huius legis petatur ex primo præcepto.

*Quodnam est quartum præceptum?*

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prologentur tibi dies, & bene tibi sit.

Antequam explicationem secundæ tabulæ aggre-  
diamur sciendum venit, quod omnis obædien-  
tia secundæ tabulæ oriatur ex obædientia primæ  
tabulæ: Prima immediata obædientiam erga  
Deum, secunda vero tabula mediatam postulat.

*Quæ est ratio præcepti?*

Quod Deus sit amans ordinis, & gratitudinis.

*Quis Finis.*

Ut conseruentur in mundo status, & ordines, quos Deus ordinavit.

*Quid est honor?*

Honor est reuerentia, qua veneramur proximi dignitatem, quam vel sustinet ex officio, vel ex peculiaribus donis Dei habet.

*Quid voce parentis significatur?*

Nomine PARENTIS Synecdochice omnes significantur superiores, sicut liberorum voce omnes inferiores notantur.

Dispone ordine gradus inferiorum & superiorum?

Parentes	Liberi
Præceptores	Discipuli
Tutores	Pupilli
Patresfamilias	Domestici
Ministri verbi	Auditores
Magistratus	Subditi.

REGVLA.

Horum analogia iura & officia requiruntur in hoc quarto præcepto.

Quotuplicia opera requiruntur hoc præcepto?

Triplicia.

Alia enim respectu inferiorum, alia superiorum, alia respectu finis huius præcepti, qui est conseruatio statuum in mundo, quos Deus ordinavit.

Quæ opera mandantur inferiorio-

*ferioribus hoc præcepto?*

Omnia signantur voce honoris, & sunt hæc præcipua. 1. Statuere statum superiorum esse ordinationem diuinam. 2. Libenter se subijcere potestati maiorum. 3. Vera storga parentes complecti. 4. Reuereri. 5. Obædire in honestis & licitis. 6. Gratitude & beneficentiam exhibere. 7. Errata maiorum in iusticia tægere, vel prudenter dissimulare.

*Quæ sunt opera mandata superioribus?*

Omnia quæ officijs liberorum iure analogo respondent, vt sunt :

1 Mutuus amor. 2. Diligens educatio. 3. Prudens tractatio, ne vel indulgentia, vel austeritate nimia perdantur liberi. 4. Liberos in bonis artibus, & pietate erudire. 5. Non facientes officium virgis & pœnis cobibere.

*Quæ sunt opera quæ præceptoribus mandantur?*

1 Amare discipulos.

D 4

2 Fide-

- 2 Fideliter docere.  
 3 Quæ docta sunt repetere, & examinare.  
 4 Castigare torpentes.

*Quæ sunt opera quæ mandantur magistratibus & tutoribus?*

Quia in parentum locum succedunt Magistratus & Tutores, eadem ipsis officia incumbunt, licet administrationis modus varius est.

*Quæ opera requiruntur ratione Finis?*

Præter enumerata, recta constitutio Rerum pub. & Oeconomiarum, ut nemo in ijs sit otiosus, sed singuli suas operas destinent conseruationi totius corporis. Huc leges utiles, huc iudicia pertinent. Commendatur ergo cuiq; diligens in sua vocatione functio. Magistratus proinde cura erit, ut singuli suum officium rectè faciant, ut ita humana societas conseruari possit.

*Quæ opera prohibentur hoc præcepto?*

Omnia, quæ enumeratis contrariâ sunt, quæ sunt

sunt disponenda iuxta ordinem operum præceptorum.

*Quæ sunt præmia obædientia, & quæ pœna inobædientia?*

Ut præmia benedictionis: ita pœna maledictionis vocabulo signantur. Pœna sunt: Infortunium, calamitas, vastatio familiae & domus, Rerumpub. turbatio, ecclesie dilaceratio, ac multa alia huiusmodi.

*Quis est usus?*

Usus idem qui primi, nimirum ut primum examinemus nostrum factum ad normam legis. Deinde delictum conspicientes, doleamus ob commissum peccatum. Tertio: ut sentientes sententiam legis confugiamus ad Christum. Quarto: nacti remissionem peccatorum, ad legem redeamus, ut tum demum novam obædientiam præstemus Deo.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

*Quodnam est quintum præceptum?*

Non occides.

*Id est. Tu homo non occides proximum, id est, quemuis alium hominem. Antithesis:*

Vitam proximi conseruabis.

*Qua est ratio huius praecipi?*

*Quia homo conditus est ad imaginem, et similitudinem Dei, homo non debet hominem occidere. Genes. 9.*

*Quis est Finis?*

*Ut mutuis officijs, & mutua beneuolentia hominum societas inter sese coalescat & conseruetur.*

*Quid est occidere?*

*Est personam proximi quouis modo laedere.*

*Quid est proximus?*

*Quilibet homo, siue bene, siue male nobis velit: seu quilibet, siue bene, siue male meritis est de nobis, siue sit peregrinus, siue domesticus, iuxta parabolam de Samaritano.*

*Qua opera prohibentur hoc praecipto?*

*Duplicia*

Duplicia, scilicet :

Que sunt gradus ad externum homicidium,  
& ipsum externum homicidium.

*Qui sunt gradus ad exter-  
num homicidium?*

Cogitata, affectus, dicta & facta pugnancia  
cum dilectione proximi.

Cogitata & affectus: vt impatientia, fasti-  
dium, contemptus proximi, vindictæ cupiditas,  
ira, inuidia.

Dicta: vt maledictum, conuicium, obtre-  
ctatio. Facta: vt insultatio, prouocatio, pulsatio,  
& huiusmodi multa, quæ continentur in generi-  
bus positis.

*Quid est externum homi-  
cidium?*

Est hominem contra legis iusticiam, sententia,  
vel manu de medio tollere.

*Quæ opera præcipiuntur?*

Hoc ex comparatione contrariorum liquet,  
& ex destinatione eorum quæ finem præcepti  
concernunt.

Que



*Quæ ex comparatione colliguntur?*

- |   |              |   |              |
|---|--------------|---|--------------|
| 1 | Patientia    | 6 | Clementia    |
| 2 | Benevolentia | 7 | Affabilitas  |
| 3 | Facilitas    | 8 | Benedicentia |
| 4 | Comitas      | 9 | Beneficentia |
| 5 | Placabilitas |   |              |

*Quæ respectu finis requiruntur?*

Iusticia particularis, qua paribus reddimus officia: Misericordia, qua afflictis & egenis succurrimus, & fortitudo animi, qua oppressos defendimus.

*Quæ sunt præmia obædientia?*

Beati, inquit dominus, mites, Beati pacifici, beati misericordes. Et Iohannes: Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Talia sunt multa corporalia & spiritualia præmia, quæ voce benedictionis continentur: Remittite & remittetur vobis.

*Quæ sunt pœnæ transgressioni additæ?*

Qui, inquit dominus, sanguinem hominis effuderit, effundetur & sanguis eius: Item, qui gladium acceperit, gladio peribit, inquieta vita, multiplex periculum.

Sed quid de praeceptoribus, parentibus & magistratu dicendum est, qui interdum irascuntur, et magistratus haud raro hominem è medio tollit.

Hac sunt officia diuinitus illis commendata: verum cauendum est, ne illorum officium viciosis corrumpatur affectibus.

*Qualis queso ira in praeceptoribus, parentibus, atq; alijs superioribus ferenda?*

Quae ex bona causa, id est, amore erga proximum procedit moderate ad bonum finem, id est, ad conseruationem & emendationem proximi.

*Quis usus?*

Idem qui est superiorum.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non moechaberis.

*Qua est ratio huius praecipti?*

Quia

Quia Deus purissimus, & castissimus est spiritus, requirit ab omni rationali creatura, puritatem & castitatem.

*Quis est finis huius præcepti?*

Ut abnegata omni immunditia, in vera sanctitate imaginem Dei repræsentemus, ac societatem conjugalem à Deo mandatam amplectamur.

*Quæ opera prohibentur?*

Triplicia: Primo, quæ sunt gradus ad libidinem animi vel corporis.

2. Signa quæ declarant libidinem.
3. Externum factum expresse prohibitum.

*Qui sunt ergo gradus hic prohibiti?*

1. Occasio: ut ocium, malum sodalitium.
2. Cogitatio impura.
3. Affectus inordinatus, concupiscentia prava.
4. Intemperantia omnis.

*Quæ sunt signa testantia libidinem animi?*

1. In sermone spurcities.
2. Amatorie cantilena.
3. In vultu procacitas.
4. Nutus libidinis.

bidinosus. 5. In incessu mollities. 6. In habitu deliciae ad excitandam libidinem compositae.

His adiunguntur concertationes & certamina potandi, prouocationes ad libidines, gula, ebrietas, quae omnia in ocio tanquam in mollissimo puluiniari recumbunt.

*Quotnam est externum fatum praeccepti?*

Omnis usus ueneris extra honestum coniugium: ut raptus, fornicatio, adulterium, incestus, & nefandum illud Sodomiticum flagitium.

*Quae opera praecipiuntur?*

1. Animi, & corporis casta puritas. 2. Continentia. 3. Sobrietas. 4. Refrenatio pullulantium affectuum. 5. Casta honestas in dictis, gestibus & factis. Praeterea etiam omnia exercitia quae faciunt ad conciliandam, & conseruandam castitatem: & diligens commissi muneris functio, ieiunium, corporis castigatio, abstinentia a rebus prouocantibus hominem, breuiter mortificatio ueteris Adami.

*Quae sunt praemia seruatae legis?*

Multiplicia sane sunt: Primo enim Deus delectatur habitare in castis animis. Deinde Domi-

nus ait, Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 3. Bona conscientia. 4. Felix in alijs rebus successus. 5. Exemplum castitatis ornatum premijs spiritualibus, & corporalibus.

### Quæ sunt pœna violatæ legis?

1. Deus deserit impurum animum & expellitur spiritus sanctus. 2. Satan ingreditur domum sibi aptissimam. 3. Mentis iudicium corrumpitur, iuxta illud: Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor. 4. Errores in omnibus actionibus. 5. Mala conscientia. 6. Infamia. 7. Varij morbi. 8. Aeternus interitus, nisi mature occurratur per pœnitentiam.

### Quis est usus?

Idem qui & superiorum.

### Quomodo Paulus exaggerat violationem huius præcepti?

Sex argumentis, quorum primum sumitur ab ordinatione Dei.

Corpus destinatum est Deo, Ergo horrendum scelus est istud libidine contaminare.

Secundum sumitur à nobilitate corporis: Cor

pora

pora Christianorum sunt membra Christi, Ergo horrendum scelus est illa scortis communicare.

Tertium à gravitate sceleris :

Reliqua peccata sunt extra corpus, sed qui scortatur in proprium corpus peccat.

Quartum à destinatione corporum Christianorum : Sunt enim corpora Christianorum templa spiritus sancti, Ergo gravissimum scelus est, illa vlla libidine contaminare.

Quintum sumitur à iure diuino, naturali, & civili : Res emta est sub iure emtoris,

Christiani sunt emti sanguine Christi, Ergo, gravissimum flagitium est ea libidine contaminare.

Sextum sumitur à fine nostrorum animorum, & corporum. Glorificate, inquit Paulus, Deum in spiritu, & corpore vestro, quæ sunt Dei.

*An contra hoc innatum vicium libidinis nulla sunt remedia?*

Imò sunt potissimum quatuor, hoc disticho comprehensa.

Ores, casta legas, ieiunes, ocia vites,

Si seruare voles corpora casta Deo.

DE SEPTIMO PRÆCEPT.

E

Quod-

*Quodnam est septimum  
præceptum?*

Non furaberis.

*Quid est furari?*

Est quocunq; modo facultatibus proximi iniuriari, & eas sibi usurpare.

*Quæ est ratio præcepti?*

Cùm Deus iustissimus sit, vult vt ad normam suæ iusticiæ, suum cuiq; tribuamus.

*Quis est Finis præcepti?*

Vt nostra sorte contenti, suum cuiq; tribuamus, ac communem societatem communibus officijs foueamus, ac iuueamus.

*Quæ opera prohibentur?*

Causa, videlicet cupiditas habendi, & eius effectus, nimirum furtum.

*Sed quotuplex est furtum?*

Duplex.

Humanum, & Satanicum. Humanum rursus dicitur

*fus duplex: Aliud enim in rebus committitur, aliud in iure.*

*Quæ furti genera committuntur in rebus?*

1. Clancularia alienæ rei surreptio.
2. Violentia, cui rapina, & præda subijcitur.
3. Impostura, quæ committitur in  

Pondere.	Mensura.
Numeratione.	Contractu.
Rerum permutatione.	Fucatis mercibus.
Rerum falsa prædicatione.	
4. Prætextus iuris, videlicet cum specie aliqua iuris, aliena ad nos transferimus.
5. Prætextus donationis, cum videlicet superiores aliquid ab inferioribus petunt, quod ipsis negare non audent.

*Quando furtum committitur in iure?*

*Quando alijs, quod ipsis vel ex pacto, vel ex officio debemus, non præstamus, vt cum negas operario mercedem, vel quandocunq; homines non reddunt sibi mutuo caritatis officia.*



*Age, postquam incidimus  
in mentionem debiti, expli-  
ca nobis debitorū rationem?*

Cū Paulus inquit, nemini quicquam debeas, nisi hoc, ut alij alios diligatis, Significat duo esse debitorum genera. Quorum vnum omnino soluendum est, ita ut amplius non debeas. Alterum soluendum quidem semper, sed non ita solui potest, quin perpetuo debitor maneat: Res mutuo acceptas ubi solueris non amplius debes, proximum nunquam ita dilexeris, quin adhuc debitor maneat.

*Sed unde huius duplicis debiti differentia petenda est?*

Ex duplici obligatione: Quarum vna est civilis, altera naturalis. Civilis obligatio est, cum legibus magistratus ad soluendum debitum cogimur. Debita, quæ hac obligatione debentur, vult reddi Paulus, sicuti & hoc præceptum, Non furtum facies. Naturalis obligatio, quæ & diuina dicitur, est, cum lege naturæ & diuina cogimur ad soluendum debitum. Lex naturæ est, quod vis tibi, hoc facito alteri, & contra: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Lex diuina, dilige proximum

proximum tuum sicut teipsum. Iuxta hoc debiti genus, semper manemus debitores, & iuxta quod boni viri semper inueniunt, quod proximo debeant, quemadmodum Samaritanus qui spoliatum Iudaeum refocillauit.

### Quodnam est diabolicum furtum?

Quod committitur ad imitationem Diaboli, qui animos primorum parentum auocauit à Deo, ut sibi adhererent. Sic Absolon dicitur furatus esse corda virorum Dauid, cuius furti rei peraguntur, Qui animos discipulorum à præceptoribus auellunt, subditorum à magistratu, liberorum à parentibus, seruorum à dominis &c. 2. Samuel. 15.

### Quæ opera mandantur?

- 1 *ἀτὰρ ἐξου,* qua quis sua sorte contentus uiuit.
- 2 Labor probus in honesta uocatione.
- 3 Commutatiua iusticia seruans æqualitatem in contractibus.
- 4 Liberalitas, & misericordia.
- 5 Usus facultatum legitime acquisitarum pius, & sanctus. De hoc rerum usu uide Enchiridion in loco diuitiarum.

## Quæ sunt præmia præstita legis?

Eadem quæ quarti præcepti, iuxta illud: *Potius habebis iustum & multo uiues tempore: Item, qui fœneratur Domino, miseretur pauperis: Item Psalmus: Miseretur, ac commodat illi suus, & semen eius in benedictione erit.*

## Quæ sunt pœnæ violatæ legis?

Prout sunt varia furtorum genera: ita & pœnæ sunt variæ. Et quoniam fures non solum politicam societatem turbant, contra quartum præceptum. Verum etiam Oeconomias euertunt, incurrunt in varias pœnas, ut sunt maledictio, mala conscientia, infamia, damnum in rebus, iuxta illud: *Uæ qui prædaris, quoniam spoliaberis ipse. Et August. Nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno, furatur quis vestem, & fidem amittit, in arca est lucrum iniustum, in conscientia damnum.*

## Quis est usus?

Idem qui est superiorum?

Docetne præter hæc aliud hoc præceptum?

Imò

Imò, duo docet: Primò, quod lege diuina sanc-  
ciatur distinctio dominiorum.

Secundò, quod pius possit iustè acquirere facul-  
tates, atq; eas rectè possidere, contra furores  
Anabaptisticos.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

*Quodnam est octauum  
præceptum?*

Non respondebis falsum testimonium  
aduersus proximum tuum.

*Quæ est ratio præcepti?*

Quia Deus est verax, vult suam creaturam  
amanentem esse veritatis, & fugere quidquid est  
falsum & fictum.

*Quis est Finis?*

Ut veritatem sine fuce colentes, placidius &  
tranquillius in humana societate viuamus.

*Quæ opera hac lege probi-  
bentur?*

Quæcumq; sub nomine falsi testimonij intelligi  
possunt.

*Quot modis committitur  
falsum testimonium?*

Duobus. scilicet :

*In iudicio, & extra iudicium.*

*Quomodo in iudicio?*

*Cum vel actor falsam accusationem intendit,  
vel defensor inficiatur quæ vere obijciuntur, vel  
testis aut ignota aut falsa testatur, vel iudex ali-  
quo affectu corruptus pervertit veram sententi-  
am. Prohibentur ergo hic falsa accusatio, mendax  
defensio, vanum testimonium, & legis cor-  
ruptio.*

*Quomodo committitur fal-  
sum testimonium extra iu-  
dicium?*

*Tribus modis. Animo, lingua, facto.*

*Quomodo animo?*

*Cum animus malam suspicionem de proximo  
fouet, & non candide, vt par est, de eo iudicat.*

*Quomodo lingua?*

*Docendo praua, calumniando ea, quæ vel be-  
ne di-*

ne dicta sunt, vel mitigari interpretatione possunt, detrahendo alijs honorem et existimationem, criminando, & quouis modo mentiando.

### Quomodo factò?

Omni hypocrisi in vita & moribus, item picturis & signis non iustam analogiam ad res signatas habentibus, qua in re peccant haud raro pictores, qui dant rebus formam, quam ipsi fingunt.

### Quæ opera mandantur?

In iudicio, amor, & veritas in actore, defensore, teste & iudice: Extra iudicium, amor veritatis, candor animi, rectum iudicium de proximo, temperantia linguæ. Iacobus: vt sitis tardi ad loquendum.

### Quæ sunt præmia seruata legis?

Eadem quæ quartæ, iuxta illud Psalm. 33. Si quis homo vult vitam, & diligit videre bonos dies, cohibe linguam tuam à malo, ne labra tua loquantur dolum. Item Prouerb. 31. Qui custodit os suum & linguam suam, à tribulatione animam suam custodit. Luca 8. Nolite iudicare & non iudicabimini.

*Quæ sunt pœna violata legis?*

*Eadem quæ primæ & quartæ legis, ut in exemplis apparet Doeck, senatorum falso accusantium Susannam, Ananiæ, Hostium Danielis, &c.*

*Quis est usus?*

*Ut agnito reatu nostro deploremus transgressionem, ac confugiamus ad Christum, cuius fide iustificati conabimur hanc legem vita exprimere.*

QVÆSTIO DE MEN-  
dacio.

*Estne omne mendacium  
prohibitum?*

*Triplex est mendacium: Perniciosum, iocosum, & officiosum.*

*Perniciosum, quo vel gloria Dei obscuratur, vel proximus leditur, idq; vel in persona, vel in fama, vel in rebus: hoc mendacij genus cum fide stare nequit.*

*Iocosum est duplex: Alterum ex petulantia seu libidine mentiendi nascitur, absq; tamen læsione alicuius, Sed tantum hoc queritur, ut auditores *ἰοτῆσι περὶ* demulceantur: hoc quia non decet Christianam gravitatem, fugiendum est.*

*Aliud*

Aliud rebus describendis seruit : vt Apologi,  
Dramata. Hoc genus, quia utilem finem habet  
& cum caritate non pugnat, nequaquam est  
damnandum.

Officiosum, quo vt nullus leditur : ita aliqua  
utilitas semper spectatur.

Obstetrices mentitæ sunt Pharaoni, Raab me-  
retrix suo magistratui, David fugiens Saulem,  
regi Achis. Hoc genus umbra pietatis tegitur,  
Etsi pugnare cum simplicitate Christiana videtur.

DE NONO ET DECIMO  
præcepto.

Non concupisces rem proximi.

*Antithesis.*

Toto corde sis proximo carus & utilis.

*Quæ est ratio præcepti?*

Quia Deus sanctus & purus est, & ab omni  
mala concupiscentia alienus, vult nos puritati &  
sanctitati studere.

*Quis est finis?*

Vt nulla cupiditas cum caritate Dei & pro-  
ximi pugnans humanos animos perturbet, & à  
recto auocet.

*Quid*



*Quid est concupiscentia in genere?*

*Est bonarum, malarumque rerum appetitus.*

*Quid est concupiscentia mala quæ hic prohibetur?*

*Est innata ex propagatione corruptæ naturæ corruptio, inclinatio ad res illicitas, & prauitas qua exemplo nostrorum parentum, qui diuinitatem appetuerunt, æstuamus, & ea quæ non deberemus appetimus.*

*Quæ opera prohibentur hac lege?*

1. *Damnatum hic peccatum originis.* 2. *Appetitio alienarum rerum, omnium malorum fons πάντων μὲν πρῶτα κακῶν ἐπιθυμία ἐστίν. hanc Plato θεῖον πολυέφαλον nominauit.* 3. *Cupiditatum assensus.* 4. *Cupiditatum gestus.*

*Quæ opera mandantur?*

1. *Boni concupiscentia legitima.*  
 2. *Humani cordis puritas perfectissima.*  
 3. *Ut non minori cura res proximi saluas cupimus quam nostras.*

4. *Per*

4 Perpetua mortificatio.

*Estne concupiscentia mala  
in prioribus præceptis prohi-  
bita?*

*Est quidem, sed discernendum est inter fon-  
tem & riuulos, hic fons intercludi præcipitur, il-  
lic riuuli, hic passiva concupiscentia, illic actiua,  
prohibetur.*

*Quæ præmia frenatæ concu-  
piscentiæ?*

*Omnes primæ & secundæ tabulæ promissiones  
huc pertinent, Nam ex frenatæ concupiscentiæ,  
Obædientia ergo totam legem nascitur.*

*Quæ sunt pœna laxatæ con-  
cupiscentiæ?*

*Omnes quæ in superioribus præceptis recitatæ  
sunt.*

*Quis usus?*

*Ut agnitum Originis malum deploremus, ac  
confugiamus ad communem medicum Christum,  
rogantes*

rogantes ut suo sanguine nos purificet, quo aliqua  
ei grata faciamus.

## DE II. PARTE CATECHISMI.

*Quæ est secunda pars Catechismi?*

*Symbolum Apostolicum.*

*Quid est Symbolum Apostolicum?*

*Est summaria quedam comprehensio articulorum seu capitum Christianæ religionis, quæ totius doctrinæ Christianæ veluti fundamentum est.*

*Quæ est ratio nominis?*

*Quia hæc fidei professio, est veluti nota, & tessera quedam militaris quæ Symbolum appellatur. Quemadmodum enim milites mundani suo symbolo testantur, & cui seruiant, & cuius sint hostes: Ita Christiani hac fidei sue professione testantur se & Christo regi seruire, & esse hostes diaboli, & membrorum eius.*

*Cur Apostolicum dicitur?*

Quia vel ab Apostolis conscriptum est, & quasi per manus traditum Ecclesiæ, quemadmodum vetustas credit: vel quia Apostolica doctrina nititur tanquam fundamento firmissimo.

*Quid in summa docet hoc Symbolum?*

Monstrat nobis Deum & eius opera, ac veram salutis viam per fidem in Deum indicat.

*Quæ sunt partes Symboli?*

Quatuor sunt partes.

1. De Deo patre.
  2. De Deo filio homine facto.
  3. De Deo spiritu sancto.
  4. De Ecclesia, & Dei erga eam beneficijs.
- De his partibus, & quid sentiendum sit, & quid credendum consuetudumq; ipsum Symbolum docet.

QVÆ EST PRIMA PARS  
symboli.

Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Declara

*Declara hanc partem?*

*Idcerta quadam methodo conabor facere. In singularum itaq; partium declaratione, hæc membra considerentur sparsim.*

- 1 *Quænam res cognoscenda proponitur, ut eius perspicua noticia habeatur.*
- 2 *Rei propositæ confirmatio per scripturæ sententias.*
- 3 *Qualis requiratur fides.*
- 4 *Usus noticiæ, & fidei.*

*Quæ res proponitur nobis in hac prima parte?*

*Quod prima persona vnius diuinitatis sit verus, & æternus Deus, pater omnipotens, creator cæli & terræ.*

*Cuius nos admonet appellatio Dei?*

*Primum, quod sit vnus Deus æternus natura, qui trinus est in personis, pater, filius, & spiritus sanctus.*

- 2 *Quod hic vnus æternus Deus sit fons, & autor omnis boni.*
- 3 *Quod ex hoc bonitatis fonte liceat haurire omnibus ijs, qui eum inuocant.*

*Quod*

4. Quod tamen si longamini sit, & tardus ad iram, seuerissimus tamen sit osor eorum, qui aduersus se sunt contumaces.

### Cur pater dicitur Deus?

Duplici respectu: 1. Respectu filij vnigeniti, qua ratione sola prima persona trinitatis Pater dicitur.

2. Respectu hominum: Idq; vel ratione creationis, quia hominem ad imaginem suam creauit, qua re suum paternum animum declarauit: Vel ratione gubernationis, Sap. 14. Omnia pater tua prouidentia gubernas: Vel ratione adoptionis, iuxta illud: Adoptauit nos in filios in dilecto: Vel ratione donationis, vnde à Iacobo dicitur pater luminum, id est, autor omnium bonarum rerum. Atq; hoc secundo respectu, non vna aliqua persona, sed tota trinitas Pater dicitur.

### Quid hinc colligendum est?

1. Quod Deus erga nos paternam curam gerat, iuxta illud Psal. Sicut pater miseretur filiorum suorum: Ita Dominus miseretur timentium se.

2. Hinc concipienda fiducia erga illum, quod nos nolit abicere, iuxta illud Esaiæ, Nunquid mater potest obliuisci filij sui, etsi illa oblita fuerit, ego non obliuiscar.

3. Ut ei debitum officium præstemus.

*Quid ergo huic patri tam clementi debemus?*

*Etsi omnia ei debeamus, tamen ea quatuor capitibus contineri possunt.*

*Primum enim debemus illi honorem, iuxta illud Malachia 6. Si ego sum Pater vester, ubi est honor meus?*

2. *Debemus ei imitationem, Ieremie 3. Patrem me vocabis, & post me ingredi non cessabis. Imitatio autem hæc sita est in tribus potissimum.*

1. *In dilectione, Ephes. 5. Estote imitatores Dei ut filij carissimi, & ambulate in dilectione. 2. In Misericordia Luca 8. Estote misericordes sicut Pater vester misericors est. 3. In perfectione, Matth. 5. Estote perfecti sicut Pater vester celestis perfectus est. 3. Debemus ei obædientiam, cum quia pater est, idq; filij vnigeniti exemplo, tum ob beneficiorum cumulum, præterea ob fructum obædientia. postremo propter vitandas pœnas. 4. Debemus ei patientiam in crucibus & afflictionibus, his de causis, 1. Propter exemplum filij vnigeniti. 2. Propter mandatum Dei Proverb. 3. Disciplinam Domini filii mi ne abieceris. 3. Propter fructum patientia, In silentio & spe possidebitis animas vestras.*

*Cur addit Symbolum Omnipotentem?*

Hoc Epitheton proprium Dei est, vnde quinq; colligamus.

1. Quod omnia possit quæ velit, vult autem & quæ promisit paterne, & quæ comminatus est iuste.
2. Quod nulla potentia possit ei resistere, aut eum impedire.
3. Quod conseruaturus sit Ecclesiam suam, vel in medio hostium, Id enim promisit paterne.
4. Quod sit perditurus olim hostes Ecclesie, Id enim iuste comminatus est.
5. Admonentur cum pijs, tum impijs: Pij quidem, vt spem futurae liberationis promissæ non abiciant, Impij vero iudicij & damnationis, nisi mature resipiscant.

*Cur addit creatorem cœli & terræ?*

Vt hoc argumento eius omnipotentiam conuincat.

*Quid in creatione spectandum est?*

Omnipotentia, sapientia, iusticia & bonitas.  
Omnipotentia, quod ex nihilo condiderit omnia.



Sapientia, quod ordine condiderit. Iusticia in gubernatione & providentia conspicitur. Bonitas in communicatione suorum donorum.

*Quis est finis creationis?*

Ut Deus laudetur, & celebretur, iuxta illud: Omnia propter seipsum creavit.

*Quis usus creationis?*

Ut nos in timore Dei, cum summa reuerentia utamur creaturis Dei in Creatoris gloriam.

*Quae sunt testimonia, quibus prima Symboli pars confirmatur?*

Deut. 6. Audi Israë!, Iehouah Deus noster Iehouah vnus est. Malach. 2. Nunquid non pater vnus omnium nostrum, Nunquid non Deus vnus creavit nos. Psalm. 33. Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Item Psalm. 19. Caeli enarrant gloriam Dei.

*Qualem fidem requirit haec prima pars?*

Id hisce verbis significatur, Credo in Deum.  
Est aut

Est autem in Deum credere, certa fiducia statuere, quod velit noster Deus esse, noster Pater, sustentator & defensor, cui nemo resistere potest.

*Quis est usus articuli?*

Ut anima, lingua, & externa obœdientia, hunc Deum nostrum esse testemur, idq; profiteamur coram toto mundo.

QVÆ EST SECUNDA PARS

De Redemptione.

Optimo ordine ad redemptionem transit, sicut postea à gratia redemptionis transit ad immortalitatis gloriam.

*Hæc pars quot habet articulos?*

Sex.

*Recita queso illos?*

1. Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.
2. Qui conceptus est de spiritu sancto, & natus ex Maria uirgine.
3. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, Descendit ad inferna.
4. Tertia die resurrexit a mortuis.
5. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.
6. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

*Age explica primum articulum de redemptione, qui est?*

Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.

*Hic articulus multa paucis complectitur: Primum enim monstrat, quæ sit altera persona in Diuinitate. 2. Eius nomen exprimit, quod filio Dei homini nato impositum est, quo significatur eius beneficia. 3. Appellationem addit, qua modus saluandi significatur. 4. Hunc Dei Filium Dominum & Monarcham Ecclesie pronunciat. 5. Qualis fides huius articuli requiratur exponit.*

*Quæ est altera persona in diuinitate?*

*Est æterni patris coæternus filius, qui, ut essentia idem est Deus cum patre, & spiritu sancto: ita proprietate distincta ab utroque persona.*

*Quomodo hoc probas?*

*Quia scriptura dicit, Iehouah Deus noster Iehouah vnus est, cogimur fateri vnum tantum esse Deum essentia, & nature simplicitate: Verum quia eadem scriptura filium alium à patre*

tre testatur, vt Iohan. I. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, necesse est fateri filium distinctam personam esse à patre. Hac simplici confessione contenti simus.

*Nomen quod filio Dei impositum est?*

In circumcissione inditum est illi nomen Iesus, quemadmodum Angelus præcepit, ac rationem reddidit, quòd suum populum à peccatis eius liberaturus esset.

*Distinctius quæso explana quid doctrina, & consolationis sub hoc dulcissimo nomine Jesu contineatur?*

1. Quia I E S V S dicitur ex eo quòd sit saluator mundi, significatur quòd totus mundus sine eo perditus, & damnatus sit.
2. Quòd filius Dei solus fons, & via salutis, vt qui solus iure I E S V S appellatur.
3. Ex secundo sequitur, quòd nulla opera, & nulla ~~adhibita~~ <sup>adhibita</sup> sint meritoria salutis.
4. Quòd hoc nomen I E S V S monstret no-

bis Antidoton contra desperationem, particulari-  
ritatem, indignitatem, magnitudinem peccati  
atq; adeo aduersus omnia mala.

5. Hoc nomine Iesu, summa Euangelij propo-  
nitur. Ut enim admonet nos peccati, & damnati-  
onis: ita monstrat salutem, & redemptionem per  
remissionem peccatorum in nomine Iesu. Hinc do-  
minus Luca 24. Oportet in nomine meo predicare  
paenitentiam, & remissionem peccatorum. Et  
Iohannis. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mun-  
di. Et idem in Epistola: Sanguis Iesu Christi pur-  
gat nos ab omni peccato.

*Quæ est appellatio, qua mo-  
dus saluandi indicatur?*

Christus, nam vt nomen Iesus docet, quod sit  
saluator: Ita appellatio Christus aperit quomodo  
sit saluator.

*Hoc dic apertius?*

Christus græce, Hebraice Messias, latine vir-  
tus, filius Dei dicitur triplici de causa. 1. quia  
est propheta. 2. Quia est sacerdos seu Mediator.  
3. Quia est rex.

*Quomodo Propheta?*

Quia, vt olim suo spiritu Prophetis promissio-  
nem

nem reconciliationis reuelavit : Ita hisce postremis temporibus eandem sua voce proposuit & inculcavit, iuxta illud : Nemo vidit Deum unquam, sed filius qui est in sinu patris, ipse nobis reuelavit.

*Quomodo sacerdos seu mediator ?*

Propter victimam, & intercessionem. Nam vt victima sua placavit patrem : Ita sua intercessione interpellat patrem, vt qui solus mediator constitutus est Dei & hominum, 1. Timoth. 1.

*Quomodo nobis Rex est ?*

1. Quia demolitus est potestates & destruxit opera Diaboli, iuxta illud Psalmi, & Pauli : Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.
2. Quia suo spiritu in animis fidelium regnat.
3. Quia defendit Ecclesiam aduersus inferorum portas.

*Quomodo Ecclesia filiũ Dei suum dominum & Monarcham agnoscit ?*

Cum mente, & ore confitetur, & dicit :

Credo in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, ipsum solum & non alium agnoscit in Ecclesia Dominum, & Monarcham, iuxta Psalm. 2. Ecce constitui regem meum super Sion montem meum sanctum.

### Quomodo quaso est Dominus & Monarcha?

1. Gubernatione vniuersali, qua ipse cum patre, & spiritu sancto, vt omnium rerum: ita & Ecclesie Dominus est.
2. Est Ecclesie Dominus iure redemptionis, 1. Corinth. 6. Eius enim sumus iuris, à quo redempti.
3. Propter defensionem, qua semper adest suae Ecclesie, eamq; tuetur.
4. Ratione potestatis, Is enim solus habet potestatem imperandi Ecclesie, qua facienda sunt.

### Cur addit Symbolum, Nostrum?

Vt quemadmodum pius firmiter statuit, quod filius Dei sit suus Iesus & suus Christus: ita sciat quod idem filius Dei perpetuam curam suam gerat, arceat hostes, & tueatur Ecclesiam suam ab omnibus malis.

Qualem

*Qualem fidem requirit hic  
articulus?*

Talem, qualem primus, nempe quod pius ita dicat, & profiteatur. Ego firmiter statuo, quod Dei filius sit meus saluator, verus propheta, vnicus sacerdos seu mediator, & rex omnipotens, adeoq; Dominus, qui me sua providentia gubernat, me redemit, me aduersus Diabolum defendit, & qui solus potestatem habet imperandi mihi, qua in suo regno spiritali vult fieri. Ex his etiam conspicitur vsus.

*Dic secundum articulum  
de redemptione.*

Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus ex Maria uirgine.

*Quot potissimum spectanda in hoc articulo?*

Quatuor.

1. Fines assumptæ humanæ naturæ ab æterno Dei filio.
2. Cur oportuit mediatorem & redemptorem, Deum, & hominem esse.
3. Utrum opus redemptionis naturæ alicui seorsim, aut personæ adscribendum sit.

4. Quæ



4. Quæ potissimum circumstantiæ in Historia conceptionis, & natiuitatis Christi sunt spectandæ.

*Quinam sunt fines assumptæ  
humana nature ab eterno  
Dei filio?*

1. Qui in Genesi ponitur, vt contereret caput serpentis, id est, interprete Iohanne, vt destrueret opera Diaboli, idq; sua potentia.
2. Ut sua victima, & intercessione placaret iram Dei, iuxta illud: Ecce agnus Dei, qui tollis peccata mundi.
3. Ut hominem iniustum sue obædientiæ impotentione iustificaret, & reparata in eo imagine Dei, ipsum vita donaret æterna, iuxta illud 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, vt fieremus iusticia Dei in ipso.

*Cur oportuit mediatorem  
esse Deum & hominem?*

Hoc requirebat iusticia Dei, necessitas, mediatoris conditio, & humana fragilitas.

Iusticia Dei requirebat, vt aut totum genus humanum sui reatus causa periret, aut aliquis pro humano genere peccatum expiaret. Quemadmodum

dum etenim vnus homo suo reatu fuit mortis, & damnationis autor : Ita congruebat, vt vnus in humano genere sua iusticia, vita, reconciliatio- nis, & salutis autor existeret : Proinde redem- tor & mediator homo esse debuit. Necessitas hæc est : Nulla creatura sola potuit aut iram Dei pla- care, aut gemitus cordium videre, aut mortem regnumq; Diaboli destruere, quæ omnia à media- tore requiruntur, ergo necesse fuit eum Deum esse.

Conditionem mediatoris hanc esse oportuit, vt natura coniungeretur partibus dissidentibus. Fue- runt autem partes dissidentes Deus & homo : Oportuit igitur Mediatorem Deum & hominem esse. Hinc Irenæus : Oportuit mediatorem Dei & hominum, propter suam ad vtrosq; domesticita- tem, in amicitiam & concordiam vtrosq; reduce- re, & facere vt Deus reciperet hominem, & ho- mo restitueretur Deo. Humana fragilitas require- bat talem mediatorem, de cuius facultate & vo- luntate non dubitaret, & ad quem auderet acce- dere in suis angustijs multitudine peccatorum ob- rutus. Hinc illud ad Hebræ : Debit per omnia similis fratribus reddi, vt misericors esset, & fi- delis pontifex in ijs, quæ apud Deum agenda fo- rent, ad expiandum vtiq; populi peccata.

Utrum opus redemptionis  
alicui

*alicui naturæ seorsim, aut  
personæ sit ascribendum?*

*Nec naturæ diuinæ seorsim, nec humanæ com-  
petit, sed personæ, id quod hisce quinq; argumentis  
firmissime colligitur.*

*Primum sumitur ab unione hypostatica: Si  
enim alterius naturæ sine altera esset redemptionis  
beneficium, nunquam deus æternus massam hu-  
manæ naturæ assumpsisset. Nam si solius diuinæ  
naturæ est, cur assumpta est humana natura? Si  
soliis humanæ est, quæ fragilis, & infirma est,  
unde tantæ vires & facultates?*

*Secundum sumitur a collatione testimoniorum,  
qualia sunt hæc: Semen mulieris conteret caput  
serpentis. Christus apparuit ut destruat opera  
Diaboli. Hoc est nomen quo uocabunt eum, Iehor-  
uah iusticia nostra. Quod autem extrema duo  
testimonia non ad naturas seorsim sint referenda,  
sed ad personam per communicationem idiomatis,  
ostendit medium, in quo officium mediate  
ris tribuitur personæ, alioqui extrema implicae-  
tionem contradictionis haberent.*

*Tertium sumitur à prerogatiua sacerdotii  
Christi, qua excelluit sacerdotes Leuiticos, iuxta  
illud ad Hebr. Lex constituit sacerdotes habentes  
infirmitatem, Sermo autem iuramenti, qui post  
legem constitutus est, filium in æternum consum-  
matum.*

matum. Hic, ut eadem epistola testatur, assumpsit humanam naturam, ut haberet quod offerret.

Quartum sumitur ab officijs mediatoris, quæ nec diuinitati seorsim, nec humanitati seorsim competunt, sed toti personæ conueniunt: Non conuenit soli naturæ humanæ placare iram Dei, & destruere mortem, quia per se impotentior est, quam ut id præstare possit: Nec hæc naturæ diuinæ conueniunt seorsim, quia ea non obnoxia fuit per se ad ea officia præstanda, debuit igitur mediator Deus & homo esse.

Quintum sumitur à confessione Ecclesiæ: Sic enim habet Nicenum symbolum: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit. Et Cirillus: Mediator Dei, & hominum est, quia in eo Deus & homo coniunguntur.

Quot circumstantiæ consideranda sunt in historia conceptionis & natiuitatis Christi?

Sex.

Quænam?

1. Quòd ab Angelo annunciata sit.
2. Quòd mediator cõceptus sit de spiritu sancto.
3. Quòd

3. Quòd conceptus sit in virgine, & natus ex virgine.
4. Quòd ea virgo fuerit desponsata viro.
5. Quòd mater redemptoris descenderit de pro sapia David.
6. Quòd redemptor natus sit regnante Augusto Imperatore. De his circumstantijs vide Encirridion.

### DIC TERTIVM ARTICVLVM

De redemptione.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferna.

*Quot particulae in hoc articulo sunt spectandae?*

Sex.

*Quanam?*

1. Quod filius Dei sit passus.
2. Quo tempore sit passus.
3. Quodnam fuerit passionis genus.
4. Euentus passionis, videlicet mors.
5. Sepultura.
6. Descensus Domini ad inferos.

Verum priusquam quæram explicationem propositarum particularum, proponam quinq; quæstiones.

stiones, quarum explicatio illustrabit hunc articulum.

1. *Qualenam sit opus passio Domini coram Deo Patre,*
2. *Quenam concurrunt in hoc opere.*
3. *Quomodo vnus hominis opus satisfacere potuerit pro peccatis totius mundi.*
4. *Utrum passio sit personæ, aut humanae naturæ tantum.*
5. *Quomodo fiat applicatio, vt virtute passionis Christi nostrum peccatum expietur.*

*Qualenam opus est passio Domini coram Deo?*

*Est sacrificium propiciatorium, in quo æternus filius homo factus seipsum per æternum spiritum obtulit patri æterno, vt ista sua victima, & obedientia, & expiaret peccata mundi, & placaret iram Dei, quo omnes qui in ipsum crediderunt, credunt, & credituri sunt, per eundem sanctificentur ad vitam æternam, iuxta illud Iohan. 17. Ego pro ijs sanctifico meipsum, vt & ipsi sint sanctificati in æternum.*

*Quenam concurrunt in hoc sacrificio?*

1. Occurrit sacerdos ipse filius Dei homo factus.
2. Res oblata idem filius Dei.
3. Modus oblationis : Obtulit enim se per æternum spiritum, quo significatur vis huius sacrificij.
4. Quod patri se obtulerit.
5. Effectus sacrificij.
6. Pactum respectu hominum : credentibus enim solis hoc sacrificium salutare est.
7. Est finis & scopus, nimirum ut credentes habeant vitam æternam merito huius sacrificij.

*Quomodo unius hominis opus potest esse satisfactorium pro peccatis totius mundi?*

*Ex indiuidua, ineffabili, & adoranda vnione diuinæ naturæ & humanæ est dignitas, præcium, æstimatio, meritum infinitum omnium operum, & passionum Christi. Cum ergo dicitur, Filius hominis redemit nos per meritum passionis suæ nominatur opus infiniti valoris, videlicet opus filij hominis, qui est Deus. Cum dicitur mors Christi est satisfactio, præcium immensum proponitur, nempe hominis, qui est Deus.*

*Similiter cum dicitur, Filius hominis remittit peccatum, opus est diuinum, quia is hominis filius, Deus est.*

Hinc caro Christi dicitur caro vitæ, quia est caro hominis, qui est Deus.

*Utrum passio est persona, aut humana nature tantum?*

Passio est personæ, non in diuina, sed in humana natura, iuxta illud Petri: Christus passus est carne. Quicquid enim contumeliæ, & iniuriæ irrogatum est humanitati Christi, cessit in contumeliam filij Dei æterni. Unde Paulus dicit: Dominum gloriæ crucifixerunt.

*Quomodo fit applicatio passionis Christi, ut eius virtute nostra peccata expientur?*

Hæc applicatio fit verbo, fide, & sacramento: Verbo enim quasi manu Dei offertur: Fide veluti manu hominis accipitur: Sacramento ob-signatur, & eius vis, ususq; tanquam in tabula pingitur. De qua re in parte de Sacramentis agetur.

*Dic iam tandem de particulis huius articuli?*



## DE PRIMA PARTICULA.

De prima particula nempe de passione in genere iam dictum est. Expositum est enim qualenam opus sit coram Deo passio domini, quanti sit precij, & quomodo applicetur.

*Dic de secunda parte, videlicet cur Symbolum mentionem faciat Pontij Pilati?*

Pontius Pilatus fuit praeses à Tiberio Romanorum Cesare constitutus in Iudea. Fit igitur huius mentio in symbolo. 1. Ut sciamus quo tempore, quo loco, sub quo magistratu, & principe passus sit dominus. 2. Ut reuocemus in memoriam oracula Prophetarum, qui praedixerunt, in quarta Monarchia, & sublato sceptro de Iacob passurum esse Dominum, quemadmodum & Iacob patriarcha, & post ipsum Daniel praedixit qui ipsum annum, quo passus est quasi digito demonstravit: Post 62. Septimanas Christus occidetur. 3. Ut obfirmemus fidem nostram aduersus deliria Iudeorum, qui negant Christum ad huc venisse in carnem.

*Dic de tertia parte, de supplicij*

*plicij genere, Cur videlicet sit crucifixus?*

1. Nullum supplicij genus apud Iudæos, aut vllas gentes fuit magis abominabile, aut probrosum, quam hominem in patibulum suspendere. Quare cum Deus voluit suum filium hoc mortis supplicium subire, significavit peccatum, propter quod expiandum crucifixus est dominus, summe abominandum, maximè fœdum, & extreme detestabile esse: testatusq; est iram suam maiorem, quam vt potuerit vlla alia satisfactione expiari, quam acerbissima, & maxime probrosa morte filij vnigeniti sui. 2. Hoc supplicij genus testatur, Christum suscepisse in se reatum nostrum, adeoq; pœnam reatus, ipsam maledictionem videlicet, iuxta illud Deut. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hinc Paul. Gal. 3. Christus redemit nos ab execratione legis, factus pro nobis execratio seu maledictum. Cruci igitur affixus dominus sustinuit reatum omnium peccatorum nostrorum, vt nos à maledictione liberaret. Coloss. 2. Chirographum quod contra nos erat per legem è medio sustulit, & cruci affixit. 3. Crucifixus est, vt veritas responderet figuris. Primum enim vetera sacrificia, quæ adumbrabant victimam Christi, lignis imponebantur, vt significaretur quòd

Christus ligno affixus sacrificium suum perageret, & se hostiam sanctā offerret patri. Deinde Sacrificia eleuata in altū antequā comburerentur, significabant exaltationem Christi in aram crucis. Præterea idem adumbratum est in Isaac, qui strui lignorum impositus erat sacrificandus à patre. Postremo omnium elegantissime hoc supplicij genus depingit æneus serpens, quem Moses palo affixum erexit in deserto, quemadmodum Dominus & hunc typum de se interpretatur, cum ait Iohan. 3. Quemadmodum Moses exaltauit serpentem in deserto: ita oportet exaltari filium hominis, ut Omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.

### *Dic de quarta particula, cur mortuus sit dominus?*

Mortuus est propter tria, scilicet: vaticinia prophetarum, figuras, & fructum mortis. Inter vaticinia hæc sunt Esaie 53. Abscissus est de terra uiuentium, propter peccatum populi mei percussus cum, Et in eodem capite: Cum posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum, & voluntas domini in manus eius dirigetur. Figure idem adumbrabant: Quemadmodum enim victimæ verè occidebantur offerendæ: ita oportuit Christum, ut veritas responderet figuræ, vere mori.

Fructus

Fructus idem requirebat, iuxta illud Pauli: mortuus est propter peccata nostra. Item, Mortuus est semel, ut nos peccato perpetuo moriamur.

*Dic de quinta particula, cur videlicet sepultus sit?*

1. Id factum est, ut convinceret ipsum Dominum vere mortuum fuisse. 2. Ut veritas responderet figuræ. Quemadmodum Ionas fuit in ceteris diebus & noctibus. Ita oportuit Christum in sepulcro esse triduum, quemadmodum ipse Dominus hunc typum interpretatur. 3. Sepultus est, ut una secum in sepulcro nostra peccata sepe-  
liret, tegetet, & in æternum absconderet à conspectu patris. 4. Ut nobis iter præbeat de sepulcris nostris ad vitam. 5. Ut nos spiritualiter mortui peccato, quiescamus ab eo, & desideria ipsius non perficiamus, iuxta illud Rom. 6. Sepulti sumus per baptismum cum ipso in mortem eius, ut quemadmodum ipse exaltatus est per gloriam patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

*Dic de sexta particula, videlicet de descensu domini ad inferna?*

Dominus ad inferna descendit. 1. vt testaretur se victorem esse inferorum. 2. vt quemadmodum morte sua nos ab aeterna liberavit morte: ita suo descensu ad inferos effecit, ne nos, modo crediderimus in ipsum, potestati inferorum subiiciamur.

*Utrum corpore, aut anima descendit ad inferos?*

Hoc, quia scriptura non exprimit, inquirere noli, sed symbolum videtur innuere quod totus Christus ad inferos descenderit. In qua sententia & Augustinus est.

*Quid sentis de illorum sententia qui limbum patrum fingunt, & Christum inde abduxisse Adam & Evam, adeoque pios omnes qui ante Christum mortui erant?*

Habent ista magnos autores, tamen mera sunt nugamenta, vt quae nullis scripturae fulciantur testimonijs. Deinde non parum detrahunt virtuti sacrificij Christi, cuius precium infinitum est, extendens

tendens se ad omnia tempora, iuxta illud in Apocalypsi: Agnus occisus est ab origine mundi. Nō ergo minus Abraham victimæ Christi virtute ab infernis ereptus est quam Paulus, aut aliquis alius pius, qui post exhibitum Christum mortuus est. Hæc sententia est analogæ fidei.

*Utrum descensio Christi ad inferos, ad Christi humiliationem, aut exaltationem pertinet?*

Cum sit pars triumphæ Christi, non dubium est quin ad eius gloriosam exaltationem pertineat.

*Quæ fides, & quis usus?*

Fides & usus respondebunt noticia. Quemadmodum fides statuit sua peccata victimæ Christi expiata esse: ita usus consistit in huius fidei meditatione, mortificatione carnis, vivificatione spiritus, & gratiarum actione.

DIC QVARTVM ARTICVLVM,  
De redemptione.

Resurrexit a mortuis.

Quot sunt spectanda in hoc articulo?

Tria :

1. Certitudo resurrectionis. 2. Fructus. 3.  
Fides & usus huius articuli.

Unde sumitur certitudo?

Ex testimonijs.

Quotuplicia sunt testimonia confirmantia hunc articulum?

Triplicia : Antecedentia , Coniuncta & Consequentia.

Quae sunt antecedentia?

Sunt duplicia , scilicet. Figurae , & clara prophetarum vaticinia.

Recita figuras aliquot?

Quemadmodum Adam dormiens fuit Typus morituri Christi : Ita idem euigilans , sumta costis de latere ipsius , adumbrabat resurrectionem Domini. Et quemadmodum Samson obseratis portis

portis clausus erat in ciuitate, & idem, fractis subductisq; portis, tutus euasit: ita Christus Dominus ob signato clausus fuit sepulcro, & idem victis inferis, è morte ad vitam liber egreditur. Et quemadmodum Ionas tertio die eiectus est de ventre piscis: ita dominus tertio die de sepulcro prodijt viuus.

*Recita aliquot clara prophetarum vaticinia?*

Quia hæc infinita sunt penè, paucis contentus ero. Moses in victoria Christi super serpente, & in benedictione aterna credentium in Christum includit mortis & resurrectionis mysterium. Dauid Psalmo 15. in persona Christi clarè ait: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Item: Caro mea requiescet in spe. Esaiæ 53. Cum posuerit animam suam pro peccatis, videbit semen longeuum. Et Daniel Christum occidendum dicit, cui tamen tribuit aeternum regnum. Breuiter omnia testimonia, quæ concionantur de regno Christi, etiam includunt eiusdem resurrectionem à mortuis.

*Quæ sunt testimonia coniuncta?*

Ex mul-



Ex multis hæc sunt. 1. Vacuum sepulchrum. 2. Testimonia Angelorum. 3. Testimonia custodiam. 4. Apparitiones multiplices, quibus se viuum exhibuit 40. diebus. 5. Ascensio eius in cælum visibilis. 6. Donatio spiritus sancti in die Pentecostes.

### Quæ sunt consequentia testimonia?

1. Concio Apostolorum omnium. 2. Conservatio Ecclesiæ perpetua in tantis hominum & diabolorum furoribus. 3. Spiritus sanctus, qui hunc articulum in cordibus fidelium obsignat. 4. Erit ipsius gloriosus aduentus.

### Quis fructus est resurrectionis Domini?

Fructus triplex statui potest.

1. Ipsum Christum concernit.
2. Respectu Satanae eiusq; regni intelligitur.
3. Ad nos homines pertinet. Nam si ipsum Christum respicis:

Christus sua resurrectione factus est victor peccati, mortis, inferni, adeoq; totius regni Satanae. Et completum est testimonium: Semen mulieris

mulieris conteret caput serpentis, id est, Christus destruet opera Diaboli. Si Satanam respicis, conculcatus iacet sub pedibus victoris, quantum quidem ad fideles attinet. Nam in reprobis, & contumacibus plenum obtinet imperium. Si nos homines respicis, quibus datus est, pro quibus natus, mortuus & excitatus: fructus sunt plurimi & iucundissimi, Hi videlicet 1. Remissio peccatorum, 1. Corinth. 15. Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris. 2. Iustificatio. Roman. 4. Resurrexit propter iustificationem nostri. 3. Donatio Spiritus sancti, Gal. 4. Emisit Spiritum filii sui in cordibus nostris clamatem Abba pater. 4. Confirmatio fœderis gratiæ, seu stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum 1. Pet. 3. 5. Innovatio nostri, eaq; duplex, scilicet: Animarum & corporum. Animarum quidem, iuxta illud ad Rom. 6. Resurrexit, ut nos in novitate vitæ ambulemus. Corporum vero, iuxta illud 1. Corinth. 15. Christus resurrexit primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, Et sicut in Adam omnes moriuntur: Ita in Christo omnes vivificantur. 6. Resurrectio Christi vinculum esse debet fraternitatis mutue. Ita enim Dominus excitatus dixit mulieribus: Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum ad patrem meum, & ad patrem vestrum. 7. Est remedium catholicum ad-

cum aduersus omnes calamitates animæ, corporis  
 & famæ, hinc illud Pauli ad Timot. Memento Ie-  
 sum Christum resurrexisse à mortuis. 8. Est in-  
 dicium status gloriæ, & immortalitatis. Rege-  
 nuit enim nos in spem viam & immarcescibilem  
 per resurrectionem Iesu Christi, 1. Pet. I.

*Quæ fides, & quis usus  
 huius articuli?*

Quemadmodum hic articulus primum requi-  
 rit firmam fiduciam in hunc mortis victorem.  
 2. Spem promissæ immortalitatis. 3. Confes-  
 sionem & professionem huius fidei coram mi-  
 do, & portis inferorum: Ita usus eius, cum in  
 tota vita, tum in mortis articulo erit, ut nullis  
 fracti calamitatibus, perseueremus in fide, &  
 nouitate vitæ, donec ad finem omnium calami-  
 tatum huius mundi, & salutis portum perue-  
 nerimus.

*Dic quintum articulum  
 de redemptione?*

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei  
 patris omnipotentis.

*Quæ sunt potissimum spe-  
 ctanda in hoc articulo?*

Quatuor:

Quatuor :

1. Mandatum ascendentis.
2. Ascensionis qualitas.
3. Fructus ascensionis.
4. Fides & usus eiusdem.

Quod est mandatum ascendentis?

Mandatum ascendentis Marci ultimo hisce verbis describitur : Euntes in mundum uniuersum, proclamate Euangelion omni creaturae, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur.

Quae sunt praecipue, in hoc mandato considerata?

1. In hoc mandato indicatur quàm late pateant beneficia Christi, cum ait : Euntes in mundum uniuersum.
2. Significatur, quomodo eadem beneficia offerantur, cum dicitur : Proclamate Euangelium.
3. Ostenditur, quibus offerantur eadem beneficia cum inquit : Omni creaturae, qua uoce significatur, quod nemo mortalium sit à beneficijs Dei exclusus, si modo sibÿpsi non defuerit.
4. Exprimitur quomodo oblata beneficia accipiantur, & quomodo reijciantur, Ut enim fide sola

sola recipiuntur : ita diffidentia reijciuntur.

### Dic de ascensionis qualitate ?

Christus ascendit visibiliter corporali & naturali modo sursum, & nube subuectus est in caelum è conspectu discipulorum Act. 1. Et inde subuectus est supra omnes caelos, & collocatus in caelestibus ad dexteram Dei patris ephes. 1. & 4. Articulus ergo hic debet intelligi de vero Christi corpore, & corporali ipsius locatione in caelis ne putemus vel humanam naturam in Christo absorptam esse à diuina, vel diffusam esse in totum vniuersum cum diuinitate. vtrumq; enim apertissime humanitatem Christi negat.

### An non Christus est vbiq; ?

Est sane communicatione idiomatum iuxta illud Iohannis 3. Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit è caelo, filius hominis qui est in caelo. Certum est autem, quod cum haec loqueretur Dominus cum Nicodemo, corpus ipsius cumscriptum fuerit in terra. Quare dictum idiomatum intelligendum est. Unde Cyprianus : Ascendit in caelos, non vbi verbum Deum antea non fuerat, sed vbi verbum caro factum antea

antea non sedebat, scilicet corporali locatione.

*Quotuplex fructus est?*

Duplex :

Unus ad ipsum Dominum, Alter ad nos pertinet.

*Quem fructum inde percipit Dominus?*

Is verbis symboli exprimitur: Sedet ad dexteram patris omnipotentis.

*Quæ est dextera patris, & quid sedere ad dexteram patris?*

Ut dextera patris est diuina eius potentia, maiestas, & imperium: Ita sedere ad dexteram patris, est esse æqualem patri diuina potentia, maiestate & imperio, id quod sanè personæ Christi conuenit. Deinde, quia dextera patris, ut ex i. cap. ad Ephes. colligi potest, est locus beatitudinis, & felicitatis, & requiei, quibus fruimur in æterna vita, corpus Christi in eo felicitatis loco collocatum est.

*Dic de fructu ascensionis,*

H *quem*

quē nos homines percipimus?

Is multiplex est.

Primum enim ascendit, vt nobis locum pararet, Iohan. 14. A beo parare vobis locum, & vos ad me assumam.

Secundò ascendit, vt omnia subiiciat sub pedibus suis, vt ita emineat caput Ecclesie, Ephes. 1.

Sed quomodo queso caput Ecclesie dicitur?

Quatuor modis:

1. Efficacia: Nam suam virtutem in membris diffundit. 2. Perfectione virtutum: Is enim solus in Ecclesia omnibus virtutibus perfectissimus est. 3. Merito: Is enim solus sua obedientia meruit nobis cælum. 4. Dignitate seu ordine, & autoritate: Nam is solus Ecclesie Monarcha est, & solus autoritatem mandandi Ecclesie habet. 3. Ascendit in cælum, vt radios sue virtutis spargat in vniuersum orbem, & precipue in Ecclesie membra, vbicunq; in mundo fuerint, ad Ephes. 4. Ascendit supra omnes cælos, vt omnia impleret, Non enim ascendit vt absit à nobis, sed vt suam Ecclesiam regat, & ei adsit vsque ad consummationem seculi. Ascendit

Ascendit, vt de cælo dona det hominibus, & in ministerio Ecclesiæ sit efficax, Psalmo. 38. 5.  
 Ascendit, vt in cælo apud patrem habeamus aduocatum, 1. Iohan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & is est propiciatio pro peccatis nostris.  
 6. Ascendit, vt nostra corda ad se trahat, quo abstineamus à mundanis concupiscentijs, Coloss. 3. Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus sedet ad dexteram patris. Nam cum Christus thesaurus sit Ecclesiæ, debet eius cor apud thesaurum suum esse, Matth. 6. vbi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Philip. 3. Nostrum πολιτινῶν in cælis est.

Quæ est fides, & quis vsus?

Quemadmodum fides huius articuli est, vt Christum triumphatorem mortis, dominum omnium creaturæ & patronem nostrum apud patrem agnoscamus, in eum firma fiducia recumbamus, atq; ipsum coram omnibus hominibus & inferorum portis confiteamur: ita vsus in hoc situs est, vt abnegata omni impietate & humanis desiderijs leuemus corda nostra in cælum, petentes inde in omnibus nostris calamitatibus auxilium, & expectantes vt nos ad se iuxta eius promissionem assumat, ac donet promissam hereditatem.



*Recita sextum articulum de  
redemptione.*

Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

*Quot sunt potissimè spectanda in hoc articulo?*

*Quatuor:*

1. Quis iudex, solusne Christus, an alij cum ipso. 2. Quotuplex iudicium exerceatur à Domino. 3. Quid spectandum sit in generali iudicio. 4. Quæ fides & quis usus sit huius articuli.

*Quis iudex?*

Christus Deus & homo, mediator Dei & hominum. Iohan. 5. Pater omne iudicium dedit filio. 2. Tim. 4. Iesus Christus iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione, & in regno suo.

*An solus Christus iudicaturus est, aut etiam apostoli & sancti cum ipso?*

Solus iudicabit ut dominus plena potestate  
Apostoli

Apostoli autem iudicabunt ut testes : Christus solus proferet sententiam , Apostoli prolatam sententiam approbabit.

*Quotuplex iudicium ?*

Duplex , scilicet :

Particulare , & Generale , quorum illud præcedit , hoc sequitur . Exercetur autem particulare primum , cum Dominus vel suos defendit iuxta promissiones : Porta inferorum non præualebunt aduersus eam , vel errantes castigat ne cum hoc mundo damnentur , 1 Corinth. II. Iudicamur à Domino , ne cum hoc mundo damnemur . Huc illud Petri : Iudicium à domo Dei incipit . 2. Cum impios reprimit , & punit in hoc mundo , quorum supplicium præludium quoddam est æternæ damnationis nisi resipiscant . 3. Cum animas piorum Angelis tradit deportandas in sinum Abrahamæ . 4. Cum impiorum animas tradit Satanæ puniendas , & custodiendas vsq; ad resurrectionem generalem . Generale iudicium , est quod fiet in extremo die resuscitatis corporibus , de quo solo hic articulus intelligendus est .

*Quot sunt spectanda potissimum in hoc generali iudicio ?*

Sex.

1. Signa præcedentia iudicium. 2. Apparatus iudicij & notæ. 3. Quinam sint iudicandi. 4. Ordo iudicij. 5. Sententiæ pronuntiatio. 6. Executio sententiæ.

### Quot sunt signa præcedentia iudicium ?

Multa quidem sunt, ex quibus pauca, quæ hodie in omnium oculos incurrunt, recensimus ex Euangelistis. 1. Erunt signa in sole, & luna & stellis, hoc est, ut Marcus interpretatur, sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellæ de cælo decident, id est, erunt crebræ eclipses solis & lunæ, & adeo horrenda conspicientur meteora, ac si stellæ de cælo caderent. 2. Quod Lucas etiam refert, erit anxietas hominum præ desperatione: causam exprimit Mattheus & Marcus. Surget gens contra gentem, & erunt bella in omnibus locis mundi. 3. Erunt horrendi sonitus, & tumultus maris & fluctuum, adeo tempestates contingent horrendæ & terribiles, quales hæc nostra ætas plurimas vidit. 4. Virtutes cælorum commouebuntur, id est, in cælo apparebunt horrendi aspectus, ut militum concurrentium hastis, & aliarum rerum comminantium hominibus iram Dei. 5. Et in terra terremotus,

motus, vt anno 56. terramotu multæ ciuitates in Germania euerse sunt. Et ante 20. annos aliquot vrbes in Italia sunt absorptæ. Breuiter, cælum, & terra adeoq; omnia elementa faciem irati iudicis quodammodo referent, vt peccatores admoniti agant penitentiam, nisi malint perire. Hæc & huiusmodi alia signa, vt gemmæ arborum (sicuti dominus ipse testatur) in propinquo æstatem esse significant: ita aduentum iudicis in foribus esse prænunciant.

Præter hæc signa, est prophetia domus Heliæ de sex millibus annorum, prophetia Danielis de aduentu Domini ad iudicium deficiente Monarchia Romana. Et prophetia Pauli 1. Thessal. 2. de reuelatione filij perditionis, id est, Antichristi, quem dominus ante aduentum suum conficiet spiritu oris sui, & adueniens abolebit manifestatione gloriæ suæ.

### Quis apparatus, & quæ nota iudicij extremi?

Dominus ipse emittet angelos suos, qui clangore tubæ excitabunt mortuos, & congregabunt homines à quatuor angulis mundi, vt ferantur obuiam domino venienti in nubibus, & simul conspicietur in cælo signum filij hominis, hoc est, iudicis maiestas & gloria apparebit in conspectu omnis creaturæ.

Notas sine proprietates iudicij tres ponit Paulus ad Roma. 2. ubi diem iudicij vocat diem irae reuelationis, & iusticiae. Irae quidem, id est, reuelationis. Tunc enim sumetur vindicta de omnibus, qui in hac vita Euangelio credere noluerunt. Reuelationis, quia tum nihil erit occultum, sed omnium hominum facta patebunt oculis omnium creaturarum, imò in singulorum conscientijs sentietur iudicium proprium, iuxta illud Bernardi. In extremo die, qualem vnusquisq; habuerit conscientiam, talem & habebit iudicem. Iusticiae, ne putetur iudex ita vlcisci, quin iudicium iusticia temperet, reddatq; vnicuiq; secundum opera sua, non quidem vt merentur, sed vt de cuiusq; fide & timore Dei testantur.

### Qui iudicandi sunt?

Viuu & mortui: Viuu hic vocantur, qui adueniente iudice viuunt, mox in ictu oculi transformandi. Mortui dicuntur, qui inde vsq; ab Adam ad diem iudicij fatis concesserunt, & quieuerunt in sepulcris. Hi omnes tum viuui congregabuntur coram iudice.

### Quis ordo iudicij?

Is signatur Matth. 25. his verbis: Cum venerit filius hominis in maiestate sua, sedebit super thronum.

per thronum maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes terræ, & segregabit eos, sicut pastor segregat oves ab hædis, Et statuet oves quidem à dextris, hædos verò à sinistris.

*Dic quæ sit ratio, cur pios quidem oves, impios vero hædos appellet.*

Pios appellat oves, quia veluti oves suum pastorem agnoscunt, vocem eius audiunt, & eum sequuntur: ita Christiani Christum agnoscunt redemptorem, audiunt vocem eius & eum sequuntur in vero timore Dei. Impios nominat hædos: Nam quemadmodum hædi suam petulantiam, & libidinem sequuntur spreto pastore: ita impij suis affectibus & voluptatibus indulgentes Christum contemnunt.

*Quid ergo de Manasse sentis, qui toto vitæ tempore, ut hircus potius quàm ovis vixit?*

Respondet Ezechiel cap. 33. Si egerit impius penitentiam, & recesserit à via sua pessima, & fecerit

cerit iudicium & iusticiam, viuet. Rectè proinde ait Gregorius: Qualis hinc quisquis egreditur, talis in iudicio æstimabitur. Huc & illud Sapientia pertinet: In quemcunq; partem ceciderit arbor, illic iacebit.

### Quæ est sententia iudicis?

Ouibus dicet, hoc est, ijs qui stant à dextris: Venite benedicti patris mei & possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Hæc dicitur autem dicet, hoc est, ijs qui à sinistris stabunt: Ite vos maledicti in ignem æternum, qui Diabolo, & eius angelis paratus est.

### Quæ sententiæ executio?

Pij mox cum Christo beata immortalitate in æternum fruuntur. Impij verò tradentur Diaboli cruciandi æternis pœnis.

### Quæ fides, & quis vsus huius articuli?

Quemadmodum fides summam consolationem capit ex eo, quod credat aliquando fore finem calamitatum huius mundi: Ita supra modum letatur, quod Iesus Christus filius Dei sit iudex constitutus, qui antea in se credentibus addito iureur-

iureiurando promiserat vitam æternam, & quod in iudicium condemnationis non venient. Hanc fidem sequitur confessio coram omnibus hominibus & Diabolis, & cura solícite ambulandi coram Deo, iuxta consilium Micheæ Prophetæ cap. 6. Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Iehouah requirat abs te, utiq; facere iudicium, id est, neminem ledere, & diligere misericordiam, id est, benignum esse erga omnes, & humiliare se ad ambulandum coram Deo tuo. Huc spectat admonitio Domini: Cum hæc videritis, leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Item vigilate & orate, quia nescitis horam, qua filius hominis sit venturus. Hæc tenus de secunda parte symboli.

*Quæ est tertia pars Symboli?*

*Credo in spiritum sanctum.*

*Age retexe, & sigillatim expone quid in se contineat hic articulus.*

*Quatuor in hoc articulo continentur.*

*Primum quod spiritus sanctus sit verus Deus.*

*2. Quod*



2. Quod Spiritus sanctus sit distincta persona à patre & filio.
3. Quodnam sit opus Spiritus sancti.
4. Qualis fides in hoc articulo requiratur.

## DE PRIMO.

*Quomodo probatur ex Symbolo quod Spiritus sanctus sit Deus ?*

*Ex cultu quem ei symbolum tribuit. Soli enim Deo tribuendus est cultus fidei, iuxta illud : Maledictus qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium suum. Cum ergo iubemur in Spiritum sanctum credere, iubemur agnoscere, & confiteri eum verum Deum esse.*

*Dic alia testimonia, quibus probatur diuinitas Spiritus sancti.*

*Testimonia, quibus probatur diuinitas Spiritus sancti, quatuor capitibus subijcio, que memorie gratia hoc disticho comprehendendo. Dictum, cultus, opus, confessio, quatuor ista Diuinum numen pneumaticis esse docent.*

*Recita*

*Recita dicta.*

Iohannis 4. Spiritus est Deus. Acto. 5. Non mentitus est hominibus sed Deo. Loquitur enim de Spiritu sancto.

*Quis cultus?*

Una cum patre & filio invocatur & adoratur.

*Dic de opere.*

Iob. 33. Spiritus Domini creavit me. Item Spiritus Domini replevit orbem uniuersum, est autem diuina natura ubiq; esse. Cum igitur omnia impleat Spiritus sanctus, necesse est fateri ipsum Deum esse.

*Qua est Ecclesiae confessio?*

Ea in symbolis, Apostolico, Niceno, Ambrosiano, & alijs explicatur. In quibus Ecclesia confitetur Spiritum sanctum verum Deum esse.

DE SECVNDO.

*Quomodo probatur ex Symbolo quod Spiritus sanctus sit ter-*

*Sit tertia persona à patre et filio distincta?*

*Id docetur ordine & appellatione. Cùm enim symbolum dicat, Credo in vnum Deum, & subiungit primum patrem, deinde filium, & tertio loco Spiritum sanctum, vt fatetur Spiritum sanctum Deum esse: ita eundem agnoscit tertiam in diuinitate personam. Appellatione idem docetur: Nam cum Spiritus dicitur, significatur, quod sit Spiritus ab æterno de patre & filio procedens. Ad hæc Christus apud Iohannem distinguit Spiritum à se & patre, cum inquit: Ego mittam vobis Spiritum paraclitum à patre.*

*Quid est igitur Spiritus sanctus?*

*Est verus, æternus Deus, quousque Patri, & filio, non gignens, nec genitus, sed à patre & filio procedens, simul cum patre & filio creans, conseruans, saluans, sanctificans, qui mittitur in corda electorum vt ea sanctificet, cum patre & filio simul adorandus.*

DE TERTIO.

*Quodnam*

Quodnam est opus Spiritus sancti?

Opus Spiritus sancti indicat & appellatio Spiritus, & Epitheton sanctus. Non enim dicitur tantum Spiritus respectu patris & filij, verumetiam respectu creaturarum, & praeicipue Ecclesiae, cuius membra vivificat, quemadmodum Spiritus animalis corpori vitam ministrat. Quomodo autem vivificet hic Spiritus, Epitheto sanctus significatur: vivificat enim sanctificando.

An non pater, similiter & filius sanctificat?

Ita.

Sanctificat Pater, sanctificat Filius, sanctificat Spiritus sanctus. Quemadmodum patri creatio, & filio redemptio: ita spiritui sanctificatio tribuitur: Verum pater creat per filium, & res creatas conservat per spiritum sanctum. Similiter ut filius patri obediens, offerens se per spiritum aeternum, redemit: ita Spiritus sanctus missus à patre & filio sanctificat. Proinde ut opus creationis tribuitur toti trinitati: ita & opus redemptionis, sed servata cuiusq; personae proprietate.

*Age dic apertius, quid Spiritus  
velit sanctificationis opus.*

*Etsi huius sanctificationis multe sunt partes  
præcipuas tamen hoc disticho complector.  
Spiritus ecce docet, renouat, iuuat, atq; renouat  
Promissa obsignat, arra salutifera.*

*Proba quod doceat.*

*Iohan. 16. Cum paracletus ille Spiritus veritatis  
venerit, ducet vos in omnem veritatem.  
Item, Spiritus arguet mundum de peccato, id est  
docendo conuincet mundum esse reum peccati.*

*Proba quod renouet.*

*Ad Titum 3. Benignitas & φιλανθρωπία  
paruit saluatoris nostri Dei, & Domini nostri  
IESU CHRISTI, qui non ex operibus iustitiarum  
que fecimus nos, sed secundum suam misericordiam  
saluos nos fecit, purgans nos per lauacrum  
aque & renouationem Spiritus sancti, quem effudit  
in nos opulenter, per Dominum nostrum  
IESUM CHRISTVM, vt iustificati ipsius gratia  
heredes fiamus sperate vite æternæ.*

*Proba quod iuuat.*

1. Iuuat testando de Christo, iuxta illud: *Cum* paracletus uenerit testimonium perhibebit de me. 2. Donando, iuxta illud 1. Cor. 12. *Nemo* potest dicere Dominum Iesum nisi per spiritum sanctum. Item diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus. 3. Consolando, unde paracletus toties à Christo dicitur, qui ut aduocatus nobis adest, & nos consolatur. 4. Precando, Roma. 8. *Accepiſtis* spiritum adoptionis, in quo clamamus *Abba* pater. Item, quid precabimur quemadmodum oportet nescimus, sed Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

*Proba quod obſignet promiſſiones.*

Ephes. 1. *Obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.*

*Proba quod ſit arra ſalu-  
tis.*

Ephes. 1. *Qui eſt arrabo hereditatis noſtræ.*

*Qualis fides requiritur?*

*Ut quemadmodum credimus in Deum patrem creatorem, & in filium redemptorem: ita etiam credamus in Spiritum ſanctificatorem, cuius cum*

templum sumus, vsus huius articuli erit, ut renuntiata omni impuritate, simus sancti Spiritu & corpore, caueamusq; ne vllis factis contristemus Spiritum Dei in nobis habitantem.

*Cum haecenus de tribus personis in diuinitate dictum est, Dic summam dictorum breuissime.*

Credo in unum Deum, in patrem qui me creauit, in filium qui me redemit, & in Spiritum sanctum qui me sanctificauit: hanc fidem palam protestor, & confiteor coram toto mundo & portis inferorum.

*Quæ est quarta pars Symboli?*

De Ecclesia, & beneficijs Dei erga ipsam. Haecenus enim de causa efficiente, & materia nostræ salutis actum est, nempe de misericordia paterna, victima filij, & sanctificatione Spiritus: Nunc in sequentibus articulis ostendetur, quo ista omnia pertineant, & quomodo applicentur.

*Quot*

Quot sunt articuli huius  
partis?

Quatuor iuxta symboli verba: credo

1. Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.
2. Remissionem peccatorum.
3. Carnis resurrectionem.
4. Et vitam eternam.

Dic de primo, nempe de  
Ecclesia, quæ & quot præci-  
pue in hoc articulo sunt spe-  
ctanda?

Multa sane requiruntur ad huius articuli ex-  
plicationem, sed nos præcipua capita sex quæ-  
stionibus complectemur, quæ sunt: 1. quid sit  
Ecclesia, qualiacumq; sint eius membra. 2. Ap-  
pellationes, quibus Ecclesia pingitur & veluti  
oculis subjicitur. 3. Quæ sint interiores veræ Ec-  
clesiæ proprietates. 4. Quæ sint visibiles notæ seu  
externa signa Ecclesiæ. 5. Quibus rebus fulcia-  
tur & conseruetur Ecclesia. 6. Qualis fides huius  
articuli à fidelibus requiratur.

DE PRIMÆ.

Quid est ergo Ecclesia?



Breuit̄ & rotunde verbis symboli definitur, cum dicitur *αγίαν κοινότητα*, id est, Sanctorum societas, hoc est, hominum qui sanctificati sunt in CHRISTO IESU per Spiritum sanctum.

*Dic aliam, qua hac breuis definitio illustrari potest.*

Ecclesia est cœtus hominum de turba, & collatione totius generis humani euocatus in regnum Christi, & segregatus ab omnibus alijs cœtibus hominum: Euocatus quidem voce Euangelij, segregatus verò, & distinctus ab alijs cœtibus totius mundi, fide, sacramentis, vitæ sanctimonia, & professione.

*Quomodo confirmatur hac definitio?*

Pulcerrimo Abrahami patris nostri exemplum qui cum sua familia, vera ecclesia Dei fuit: Is enim de Hur Chaldaeorum & de medio Idololatrarum vocatus, voci Dei obœdiuit, & se à profano mundo, fide, obœdientia erga Deum, & externa professione segregauit.

Cum hac definitione congruit illa, quæ colligitur ex verbis Pauli: 1. Corinth. 1. Ecclesia est multitudo hominum vbiuis terrarum degentium, qui

qui ut sanctificati sunt in Iesu Christo, & vocati ad sanctitatem; Ita inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.

An non Ecclesia in Euangelio comparatur Sagena missa in mare, in qua comprehenduntur & boni & mali pisces?

Ita sane est.

Nam in externa Ecclesie societate sunt & boni & mali, hoc est, & viua membra, & mortua membra. Viua autem membra sunt homines, qui non solum profitentur doctrinam Christianismi, sed sunt verè sanctificati Spiritu, ac retinent fidem, & bonam conscientiam. Mortua autem sunt, qui profitentur quidem ore doctrinam Christianismi, sed ut Spiritu non sunt sanctificati: ita nec fidem habere, nec bonam conscientiam retinere student. A mortuis membris non erat petenda definitio.

DE SECVNDA.

Dic appellationes quibus ecclesia

*clesia Dei pingitur, & uelut oculis subijcitur?*

*Multa sane sunt huiusmodi appellationes, sed nos præcipuas hoc hexasticho complexi sumus.*

*Corpus, ouile, domus, cum templo, uinea, sponsa,*

*Virgo, Ierusalem, mater, regina, & amica. Mons, rosa, fons, hortus, lapis, urbs, fortissima rupes,*

*Et genus electum, semen, columna, columba,*

*Sors, ager, & messis, regnum cælestè uocatur,*

*Cætus sanctorum, qui Ecclesia dicitur esse.*

*Quomodo his appellationibus pingitur Ecclesia?*

*Si has metaphoricæ appellationes retexueris in integras similitudines, habebis elegantissimas Ecclesiæ Dei picturas & imagines, ut exempli gratia. Cum Ecclesia corpus dicitur, considerabis analogiam corporis animalis ad caput ipsius. Quemadmodum enim de capite animalis descendunt nerui, & Spiritus in corpus animalis, quibus uiuificatur, fouetur, & conseruatur: ita Spiritus Christi*

tus Christi est, quo Ecclesia corpus Christi viuificatur, fouetur, & conseruatur, ita vt & nexu suo & adhaereat capiti corpus, & corporis membra inter sese coalescant eiusdem spiritus virtute. Reliquas appellationes vnusquisque accommodet pro suo ingenio, seruata Analogia fidei.

*Quae sunt vera & interna Ecclesiae proprietates?*

Inter multas hae sunt praecipuae. 1. Sola Ecclesia est descripta haeres vitae aeternae, vt quae est pectus filij Dei, Psal. 2. 2. Sola Ecclesia est familia Dei dilectissima, quam paterna cura, & singulari storga complectitur. 3. Sola Ecclesia potest vere gloriari de Deo patre, de filio redemptore, de Spiritu sancto aduocato. 4. Sola Ecclesia Christo aeterni spiritus vinculo ita sociata est, vt ab eo nunquam diuelli possit, & ita suis membris coalescit per eundem spiritum, vt aeterno foedere eius membra consociata sint. 5. Sola Ecclesia, vt quae vere sancta & catholica est, haec bona habet communia, vnum Deum, vnum Dominum, vnam fidem, vnam spem vocationis. 6. Sola Ecclesia Dei habet verum cultum, veram doctrinam, & efficacem sacramentorum usum. 7. Sola Ecclesia particeps est orationis Christi in horto, & in cruce, atque adeo omnium piorum inde vsque ab exordio mundi.

mundi. Omnes enim vnum & eundem patrem pro toto corpore inuocant. 8. Sola Ecclesia vera storga afficitur, gaudet cum gaudentibus & flet cum flentibus, atq; aded aliorum commoda sua existimat, & de alienis incommodis non minus dolet, quam de suis.

#### DE QVARTA.

*Quæ sunt visibiles nota seu externa signa Ecclesiæ?*

Inter multa signa externa Ecclesiæ visibilia, hæc sunt præcipua.

1. Vox incorrupta Euangelij, sine qua Ecclesia vera nullo modo, vel existere, vel agnosci potest.
2. Verus vsus baptismi, qui est veluti ianua, per quam homines introducuntur in familiam Dei.
3. Legitimus vsus cœnæ Domini iuxta institutionem Christi.
4. Usus clauium iuxta ordinationem Christi, per quem Ecclesia suam exerit potestatem, cum vel prædicatione Euangelij credentes in regnum cælorum recipit, vel disciplina immorigeros filios castigat, aut resipiscentes in gratiam recipit.
5. Ius vocandi ministros, & consecrandi per impositionem manuum, qui nobis, vt ministri imper-

impertunt verbum, baptismum, cœnam, & ab-  
solutionem.

6. Publica oratio, gratiarum actio, & cele-  
bratio Dei in cœtu Christiano.

7. Crux, hac enim nota tanquam tessera qua-  
dam suos ideo vult Dominus notari, vt fiant con-  
formes imagini filij eius. Nam quos decreuit olim  
glorificare, eos cruce præparat, iuxta illud Rom.

8. Si cum eo patimur, cum eo quoq; glorificabimur.

8. Multa officia caritatis inter Christianos, qui-  
bus declarant se eodem Spiritu Christi duci. Hæc  
signa si breuius complecti velis, ita numerentur:

Ut 1. sit vox incorrupta Euangelij. 2. Legitimus  
vsus sacramentorum. 3. Obœdientia erga mini-  
sterium. Prior enumeratio Lutheri, posterior Phi-  
lippi est.

DE QVINTA.

Quibus rebus fulcitur &  
seruatur Ecclesia?

Quatuor:

Doctrina, Sacramentis, Ceremonijs, & di-  
sciplina, de quibus vide Enchiridion.

DE SEXTA.

I 5

Qualis

## Qualis fides huius articuli requiritur ?

Quemadmodum fides statuet Christum eternum pontificem esse : ita eum habere perpetuam Ecclesiam credet, iuxta illud : Tu es sacerdos in eternum. Deinde statuet fidelis se vere ciuem esse se huius Ecclesie, & participem omnium promissionum diuinarum. Huius fidei hic erit vsus, ut cum vera Ecclesia Dei matre nostra, Deum perpetuo cultu colamus, ac nos coram mundo, & diabolis profiteamur esse ciues huius Ecclesie, & separemus nos ab Ecclesia Antichristiana, quae superbe gloriatur de hisce suis notis, quae sunt :

1. Primatus Papae, ordo clericalis Cardinalium, Archiepiscoporum, Abbatum, priorum &c.
2. Successio ordinaria.
3. Similitudo rituum in Ecclesia. Quas notas nunquam habuit vera Ecclesia, sed ea solum quam Dauid Ecclesiam malignantium vocat.

Dic secundum articulum  
quarta partis.

Credo remissionem peccatorum.

Quae

Quæ sunt præcipue in hoc articulo spectanda?

Quatuor :

1. Ratio peccati.
2. Remissio peccati.
3. Fides remissionis.
4. Fidei remissionis coniuncta.

DE PRIMO.

Quæ est ratio peccati?

Peccatum est *ad opus*, id est, legis violatio, seu quicquid in homine est, aut ab homine fit non congruens cum lege & voluntate Dei, damnatum à Deo, & reum æternæ iræ. Seu peccatum est defectus à lege & voluntate Dei, cum obligatione ad æternam mortem, & damnationem.

Quotuplex est peccatum?

Duplex, scilicet:

Originale, & actuale.

Quid est originale?

Est cum corruptio, naturæ humanæ propagata



gata ab Adam, tum reatus, quo nascentes propter lapsum Adæ rei sunt iræ Dei & damnationis, nisi fiat remissio.

### Quomodo propagatur hoc peccatum?

Hoc peccatum propagari ab Adam in totum humanum genus ipse Paulus Rom. 5. discrete docet: Verum cum modus, & ratio propagationis verbo Dei non exprimitur, non est scrupulosè de eo quærendum.

### Quid est Actuale?

Est per quod peccatum originis actuosum est, id est, omnis cogitatio, affectus, consensus, dictum, factum, omissum contra legem Dei, quo homo nouo reatu obstringitur ad penas æternas, nisi fiat remissio. Si breuius placet: Peccatum actuale, est quæuis commissio, aut omissio prægnans cum lege Dei.

### Qui sunt peccatorum ordines?

Tres sunt, in quorum singulis quatuor sunt gradus. Nam in primo sunt cogitatio, affectus, consensus, actio prohibita.

In Secundo: Mala conscientia, contemptus Dei, idololatria, vniuersalis iniusticia.

In Tertio: Mens reprobata, <sup>atque</sup> <sup>et</sup> <sup>no</sup> <sup>is</sup>, id est, non sentire peccati molem, finalis impœnitentia, & desperatio.

*Ad quid prodest hosce ordines peccatorum scire?*

Prodest vtiq, mirum in modum:

Ut cognito periculo, quod cum peccandi consuetudine coniunctum est, mature peccatorum illecebris renunciemus. Sancti luctantur quidem in primo ordine, sed fiunt superiores Spiritus Sancti beneficio: verum hypocritæ, & prophani homines feruntur per omnes ordines in præcipitium damnationis.

*Unde quaeso grauitas peccati æstimanda est?*

Ex his quatuor: 1. Ex pœna secuta lapsum Adæ. 2. Ex calamitatibus & ærumnis, quibus hodie inuoluimur. 3. Ex dignitate precij quo redempti sumus à iure peccati. 4. Ex comminationibus æternarum pœnarum, quas Deus serio minatur ijs, qui non conuertuntur.

*Quid est remissio peccatorum?*

*Est obligationis ad æternam mortem & damnationem solutio, & pænæ debite condonatio.*

*Quomodo fit hæc remissio?*

*Quemadmodum materia, & meritum remissionis est victima filij Dei: Ita Deus pater misericordia recipit homines in gratiam condonatis peccatis.*

*An non aboletur peccatum dum remittitur?*

*Duo sunt in peccato, nimirum defectus, & reatus: Ipsa defectio indies in sanctis minuitur per mortificationem veteris hominis, Sed dum hanc massam circumferimus non in uniuersum aboletur. Manet enim perpetuo in hac vita spiritus & carnis lucta in sanctis, Gal 5. Verum reatus adeo aboletur in pijs, vt Deus dicat se non recordaturum peccatorum eorum, & saie 45. Ego qui deleo iniquitates tuas coram me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

*At sancti sæpe puniuntur propter sua peccata.*

*sancti*

Sancti non tam castigantur, quia peccarunt, quam coercerentur ne amplius peccent. Deus enim sanctos suos paterna disciplina castigat, ne cum hoc mundo damnentur, non autem punit vindicta iudiciaria ut pereant.

DE TERTIO.

*Quæ est fides remissionis peccatorum?*

Est firma fiducia misericordie Dei ex promissione ipsius per Spiritum sanctum concepta, qua statuit homo, quod Deus velit se vere in gratiam recipere propter victimam filij, & non amplius sibi peccata imputare.

*Quod hæc sit vera fidei ratio, quomodo probatur?*

Hoc probatur tribus modis: 1. Claris & perspicuis scripturæ pronuntiatis, 2. Parabolis. 3. Illustribus exemplis.

*Dic scripturæ pronuntiata.*

Paulus post Davidem ait: Beati quorum remisse sunt iniquitates. Et Christus dixit leproso: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, Et archisy nagogo:

nagogo : tantum crede, Et mulieri Cananea : & des tua te saluauit.

### Dic parabolās.

Inter multas insigniores sunt : illa de debitorē, qui debuit decem millia talentorum Matth. 18. Item illa Luc. 7. de duobus debitoribus, & quae est Lucæ 17. de Acolasto.

### Da exempla.

Omniū clarissimū est exemplū latronis in cruce, Item Dauidis post commissū adulterium, Manassis, Magdalene &c.

### DE QVARTO.

Quæ sunt cum fide remissionis peccatorum coniuncta?

Duo : Nempe gratia & donum.

Quid est gratia?

Ipsa iustificatio. Gratia enim, vt Paulus inquit Rom. 5. ex multis delictis in iustificationem.

Quid est iustificatio?

Est credentis personæ in Christum absolutio à peccato

à peccato, imputatio iusticiæ Christi, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Christum.

*Quid donum vocas?*

Donum est ipsa donatio Spiritus sancti, qua homo sola fide iustificatus regeneratur, id est, mortificatur, & vivificatur, ut iam nova creatura fiat, viuatq; iuxta voluntatem Dei, quantum quidem id fieri potest per humanam imbecillitatem, idq; exemplo sanctorum patriarcharum, aliorumq; piorum, quorum summum studium fuit obœdientiã erga Deum omnibus rebus mundi anteponere: Quemadmodum in Abrahamo videmus, qui ad mandatum Dei paratus erat unicum filium suum mactare, quo nihil in mundo habuit preciosius, iucundius, dulcius. Atque ideo Paulus monet, ut honestam militiam militantes fidem & bonam conscientiam retineamus. Quam param de hoc dono habeant illi, qui ne minimum suum affectum propter mandatum Dei iugulari volunt, manifestum est.

*Dic tertium articulum  
quartæ partis.*

*Credo carnis resurrectionem.*

*Quot sunt in hoc articulo  
præcipue spectanda?*

*Quatuor.*

1. *Probatio resurrectionis.*
2. *Definitio resurrectionis, & conditiones eiusdem.*
3. *Finis resurrectionis.*
4. *Fides & usus.*

*DE PRIMO.*

*Cum hic articulus omnino  
excedat captum rationis,  
quæso ut eum firmis ratio-  
nibus munias.*

*Multæ sunt probationes huius articuli in Pro-  
phetis & Apostolicis scriptis: Verum ut me-  
morie consulamus, omnes sub sex generalibus ca-  
pitibus complectar, quæ hoc disticho continentur.*

*Dictum, promissum, factum, vis, signa, la-  
uacrum,*

*Surgere post mortem corpora nostra do-  
cent.*

*Quid*

*Quid per dictum intelligis?*

Omnia aperta Prophetarum, Christi, & Apostolorum vaticinia de carnis resurrectione.

*Recita aliquot ex illustrioribus.*

Esa. 26. *Viuent mortui tui, & interfecti tui resurgent.* Ezech. 37. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam de sepulcris vos, populus mi, & dabo vobis Spiritum, vt viuatis.* Iob 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea.* Daniel. 12. *Multi qui dormiunt, de puluere terra euigilabunt, alij ad vitam aeternam, alij ad opprobria, & contemptum sempiternum.* Christus Matth. 22. *ex Mose probat resurrectionem mortuorum contra Sadduceos, quibus obijcit ignorantiam scripturarum, & potentiae Dei.* 1. Thessal. 5. *Mortui resurgent.*

*Quid per promissum intelligis?*

Omnes promissiones filij Dei de resurrectione, quibus consolatus est suos discipulos, ne aduersis fracti abijcerent confessionem. Iohan. 5.



Omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo quicquam, sed suscitabo ipsum in nouissimo die: Item. Hæc est voluntas eius, qui misit me, et qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Iohan. II. Ego sum resurrectio & vita. Ioba. 14. Ego uiuo, & vos uiuetis. Huiusmodi sunt multe aliæ, quibus hic articulus confirmatur.

### Quid per factum intelligis?

Omnia, quæ olim tanquam præludia resurrectionis contigerunt, ut Enoch & Eliæ sublatio in celum, excitatio mortuæ puellæ, Matth. 9. Filij viduæ Lucæ 7. Lazari Iohan. II. Imò ipse Christus excitatus tertio die apertissimum testimonium futuræ resurrectionis, & sanctorum corpora excitata resurgente domino significabant, ut olim omnium hominum corpora virtute resurgentis Christi viuificentur.

### Quid per vim intelligis?

Ipsam causam efficientem resurrectionis. Hoc primum cogitandum est de Decreto Dei omnipotentis immutabili, qui statuit se excitaturum mortuos. 2. cogitetur virtus resurrectionis Christi: Nam Christus resurrexit non tantum ut exemplum,

plum, sed multo magis, ut virtute sua resurrectionis nos in extremo die excitet. 1. Corinth. 15. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus, Christus resurrexit primitiæ dormientium. 3. Cogitetur potentia Christi, qua potest sibi omnia subicere, unde Paulus Philip. 3. Transfigurabit nostra abiecta corpora, ut fiant conformia suo glorioso corpori, idque ea virtute qua potest sibi omnia subicere. 4. Cogitetur inhabitatio Spiritus sancti in pijs, Rom. 8. Si Spiritus eius, qui excitavit Iesum à mortuis habitat in vobis, Is qui excitavit Iesum, per eundem Spiritum vivificabit etiam vestra mortua corpora.

### *Quid per signa intelligis?*

Omnia resurrectionis indicia naturæ impressa. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus expressam esse aiunt resurrectionis notam quandam in phœnice aue, quæ cum in cineres redacta fuerit, mox post irrigationem nova prodit: Muliæ aui- culæ hiberno tempore in profundis paludibus delitescunt tanquam mortuæ, quæ verno tempore rursus viuæ prodeunt. Paulus 1. Corinth. 15. granum coniectum in terram mortuum, & postea renatum, symbolum resurrectionis facit. Luna deficiens, et veluti mortua apparet, mox rursus ut noua prodiens, mortis & resurrectionis argumentum est.

*Quid per lauacrum?*

Ipsam sacramenta baptismi, quod symbolum est  
 1. mortis, sepulturae, & resurrectionis Christi.  
 2. mortis, sepulturae, & resurrectionis nostrae  
 spiritualis. 3. mortis, sepulturae, & resurrectionis  
 corporalis. Debet igitur baptismus nobis in  
 memoriam reuocare articulum resurrectionis.

## DE SECVNDO.

*Quid est resurrectio?*

Est iterata unio, & insolubilis copulatio corporum & animarum, quae prius per mortem a se inuicem separata erant, ut morte victa homines immortales facti perpetuo uiuant, alij in gloria, alij in paenis. Pij quidem in gloria, Impij vero in paenis. Verum praeter hanc definitionem sciendum est, quod piorum resurrectio sit etiam perfecta quaedam regeneratio. Nam regeneratio incoata in hac vita multum habet impunitatis, & immunditiae adiunctum, quod totum abolebitur in perfecta illa regeneratione, in qua non solum animi, verumetiam corpora ad plenum reformabuntur, et induent nouas qualitates.

*Age dic de qualitatibus corporum.*

Paulus

Paulus I Corinth. 15. Inſtituens collationem inter corpora noſtra, quæ hic circumferimus, & eadem olim excitanda ex mortuis, quinque ponit differentias his verbis: Seminatur corpus obnoxium corruptioni, reſurget corpus incorruptum. Seminatur ignominioſum, reſurget corpus glorioſum: Seminatur corpus infirmum, reſurget corpus potens: Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale, Et paulo poſt: Quemadmodum geſtauiſmus imaginem terreni, ſic etiam geſtabimus imaginem celeſtis, Ex his colligitur, quod ſanctorum corpora ſint futura incorruptibilia, glorioſa, potentia, ſpiritualia, vt quæ ſpiritus imperio ſe in totum dedant: Breuiter, totus homo imaginem Chriſti primogeniti ex mortuis reſert. Hæc omnia Paulus coniungit ad Philip. 3. vbi dicit ſanctorum corpora *ὁμοιοῦντα* ſore glorioſo corpori Chriſti, & I. Iohan. 3. Cum apparuerit ſimiles ei erimus. Atque in his ſita eſt regeneratio corporum.

Dic quomodo anima ſanctorum regenerabuntur?

1 Lucebit in animabus imago Dei glorioſa, quæ quam ſit futura augeta, & excellens, nemo mortalium in hac vita cogitare poteſt. Deinde mentes erant plenæ ſapientia Dei: Affectus puriſſimi:

Voluntates in omni aternitate promtissime ad obsequium Deo præstandum : Atque ita erit plena & perfecta obædientia legis Dei in sanctis, plena dilectio Dei, & proximi.

DE TERTIO.

*Quis est finis resurrectionis ?*

Ut Christus in omni aternitate cum sua sponsa Ecclesia lætus triumphet : Ut hostes Christi interceant perpetuo sub pedibus eius prostrati & viri : Ut bonis præmia obædientiæ, & malis supplicia reddantur. 2. Cor. 5. Oportet nos omnes sisti ante tribunal Christi, ut unusquisque reportet prout in corpore gessit, siue bonum, siue malum. Huc illud Christi : Prohibent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala in resurrectionem iudicij.

DE QVARTO.

*Qualis fides requiritur ?*

Firmissima sane, quæ sua virtute iudicium rationis & sensus premat sub pedibus suis, quæ vere statuit firmissimum esse decretum Dei de resurrectione.

suscitandis mortuis, & hoc palam confitetur coram omnibus hominibus & diabolis.

Quis est usus fidei resurrectionis ?

1. Cogitatio resurrectionis erit commune remedium aduersus omnes calamitates, ærumnas, & morbos, cum quibus conflentur corpora nostra in hac vita. Hinc enim plenus vermibus & ulceribus Iob, occisis filijs, & abactis pecoribus, consolationem petit cum inquit: Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. 2. Cogitatio resurrectionis mitigabit dolorem nostrum in morte amicorum, iuxta illud. 1. Thess. 4. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, ne tristemini sicut & reliqui non habentes spem: Nam si credimus, quod Deus Christum excitauerit à mortuis, nos etiam simul cum eo adducet. 3. Cogitatio resurrectionis & nostrum terrorem imminente morte mitigabit, cum scimus hanc mortem esse veluti transitum quendam ad immortalitatis gloriam, iuxta illud. Beati qui in Domino moriuntur. 4. Cogitatio resurrectionis erit veluti frenum, quo à peccando retrahamur, & veluti stimulus, quo ad pergen dum in vera pietate & sanctitate excitemur.

*Dic quartum Articulum  
quarta partis.*

Credo uitam æternam.

*Quot sunt potissimum  
etanda in hoc articulo?*

*Quatuor :*

1. *Vita & mortis genera.*
2. *Definitio vitæ æternæ.*
3. *Bona promissa heredibus vitæ æternæ.*
4. *Fides & vsus huius articuli.*

*DE PRIMO.*

*Quot sunt vitæ & mortis  
genera?*

*Quatuor.*

1. *Vita naturæ, & mors naturæ.*
2. *Vita peccati, & mors peccati.*
3. *Vita gratiæ, & mors gratiæ.*
4. *Vita æternæ, & mors æternæ.*

*Quæ est vitæ naturæ?*

*Est qua in hac vita naturaliter viuimus, de  
nec animæ & corpora fuerunt coniuncta: Hac  
bona*

bona per se est, quia Dei donum est, & quia promittitur obœdientibus Deo tanquam præmium obœdientiæ Exod. 20. Verum variat hæc vita pro conditione hominum: Nam Abrahamo bona fuit, quia eam transegit in pietate & propagatione gloriæ Dei: At Neroni mala fuit, quia ea abusus est in contumeliam auctoris, & in suam propriam perniciem. Huic vitæ naturæ opponitur mors naturæ, quæ est recessus animarum à corporibus. Hæc per se mala est, sed variat pro conditione hominum. Ut enim Abrahamo fuit bona: Nam erat illi transitus ab huius mundi calamitatibus ad æternam felicitatem: Ita Neroni mala fuit: Nam illi erat transitus ab huius mundi voluptatibus, potentia, & tyrannide ad perpetuum opprobrium & contentum sempiternum.

### Quæ est vita peccati?

Est qua peccatum vivit in homine & regnat per suas concupiscentias. Hæc semper est mala, quia & Deo inuisa est, & via est ad æternam mortem & damnationem. Huic opponitur mors peccati, & est cum peccatum virtute Christi in homine mortificatur. Hæc mors bona est, ut quæ transitus est à commerita damnatione ad gratuitam beatitudinem.

Quæ



### Quæ vita gratiæ?

Est qua Christus in nobis uiuit per fidem & suum spiritum, ad Gal. 2. Hæc semper bona est, quia est vis Spiritus Dei in nobis, & est uia ad gloriam. Huic opponitur mors gratiæ, quæ est priuatio gratiæ, uidelicet cum fidem abijcimus, & relabimur in peccata, ita ut peccatum in nobis denuo regnet per concupiscentias suas, eiq; scientes, & volentes obædiamus. Hæc mors mala est, quia à Deo damnatur, & ad æterna supplicia dux est.

### Quæ est uita æterna?

Est cum ipse Christus, 1. Iohan. 1. 5. tum felicitas beata, qua electi fruuntur in omni æternitate resuscitatis corporibus: Hæc uita finis bonorum est, atque adeo omnium bonorum summum, quod Dominus promiserat diligentibus se. huic opponitur mors æterna, quæ est separatio hominis à Christo, ut ipsius conspectu non fruatur: Hæc mors omnium malorum extremum est, uita quam finiendum. Huc illud Augustini. Sicut uita corporis, anima est: Ita uita animæ, Deus est. Sicut corpus expirat, dum amittit animam: Sic anima expirat, dum amittit Deum. Deus amissus mors animæ: Anima amissa, mors corporis.

Ad quid

*Ad quid prodest hæc discrimina vitæ & mortis tenere?*

*Ut discamus recte mori, & recte viuere: Mori quidem peccato, viuere vero gratiæ, quo post hanc vitam in vera pietate ad finem vsque traditam, perueniamus ad æternam vitam per Christum Iesum Dominum nostrum.*

DE SECVNDO.

*Quid est vita æterna?*

*Est cum via ad celestem hæreditatem, tum status beatorum post hanc vitam, in quo fruuntur conspectu Dei in omni æternitate.*

*Quod æterna vita sit via ad hæreditatem celestem proba.*

*Iohan. 3. Qui credit in filium habet vitam æternam. Nam in credente vita æterna incoata est.*

*Cur sic?*

*Quia qui credit, Christum possidet, qui solus via est ad vitam æternam, Iohan. 3. Nemo ascendit*

ccendit in celum, nisi qui descendit filius hominis, qui est in celo.

*Quid monstrat hanc viam?*

Verbum Dei, quod filium Dei nobis viam esse in celum, & ianuam testatur, sicuti ipse Dominus de se dicit. Ego sum ostium, Ego sum via, veritas, & vita: Quo dicto significat se principium, medium, & ultimum esse, per quod venit ad vitam eternam.

*Quis ingreditur hac via?*

Qui credit in filium, iuxta dictum: Qui credit in filium habet vitam eternam.

*Quomodo securi ab hostibus conseruamur in hac vita?*

Potentia Dei per fidem, iuxta illud 1. Pet. 1. Potentia Dei custodimini ad salutem per fidem.

*Quomodo pergendum est in hac via?*

Recte in hac via pergitur, si magis magisque in omni cognitione, & sensu rerum spiritualium proficiamus, iuxta illud Philip. 3. Caritas vestra

vestra magis magisque abundet in omni cognitione  
& sensu, ut probetis ea quæ potiora sunt, ut sitis  
sinceri, & sine offensa in diem Iesu Christi.

*Sed quid est vita æterna  
proprie?*

Est, ut dixi, status beatorum post hanc vitam,  
& fructio contemplationis diuinæ in omni æterni-  
tate, iuxta illud Iohan. 3. Sic Deus dilexit mun-  
dum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis  
qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æ-  
ternam. Et ad Titum 3. Hæredes sumus iuxta  
spem vitæ æternæ.

DE TERTIO.

*Quæ sunt illa bona, quæ Do-  
minus promiserat hæredibus  
vitæ æternæ?*

Etsi Paulus post Esaiam dicit: Oculus non  
vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparavit dili-  
gentibus se: tamen cum scriptura particulas  
quasdam istorum bonorum recenser, breuiter non-  
nihil de illis dicendum est.

*Qui-*

*Quibus modis scriptura ista  
bona nobis commendat?*

*Duobus :*

*Scilicet, Appellationibus & descriptionibus.*

*Dic appellationes.*

*Multæ sunt appellationes, quibus felicitas æternæ vitæ obscure pingitur : Nos ex multis partibus recensēbimus, quarum hæc Prima : Matth. 7. dicitur regnum celorum : Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum celorum. Hac appellatione monemur, nihil in vita æterna terrenum fore, nihil caducum, nihil fortuna, & mutationibus obnoxium. Secundo dicitur regnum æternum, 2. Pet. 1. Introitus in regnum æternum. Hac appellatione significamus, quam stabilia & firma sint futura bona, quibus abundabimus in vita æterna. Tertio dicitur regnum Dei, Act. 14. Post multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Hac appellatione monemur, quod hæredes vitæ æternæ sint futuri liberi à regno peccati, mortis, & diaboli, adeo ut nihil vnquam mali pertimescant. 4. Dicitur novum celum & nova terra, 2. Pet. 3. Quæ appellatione monemur, quod nulla sentiatur relictas, senectus & corruptio in æterna vita.*

*5. Dicitur*

5. Dicitur paradifus iuxta illud : hodie eris mecum in paradifo. Qua appellatione fignificatur, quod nihil triftitiæ, nihil aduerfi fit futurum in æterna vita, fed omnia fint plena fummis delitijs. 6. Vocatur gloria Dei, 1. Pet. 5. Vocauit nos ad fuam gloriam. Qua appellatione fignificatur, quod in æterna vita nullus fit futurus locus ignominie, infamie, contemptus, fed omnia fint maiestatis diuinæ contemplatione gloriofa.

*Recita aliquot descriptiones, in quibus bona promiffa heredibus vitæ æternæ proponuntur.*

Multæ fane funt, fed hac vice vnã tantum adducam ex Pſal. 16. Dauidis, ibi ita Chriſtus loquitur : Notam facies mihi ſemitam vitæ, abundantiam deliciarum, vultum tuum & iucunditates in dextera tua in æternum. His verbis proponit Dominus tria genera bonorum, quibus abundantiam electi in vita æterna. 1. Nominat abundantiam deliciarum, qua voce fignificatur plenitudo, & ſaturitas omnium rerum expetendarum, & ſtatus omnium bonorum copia perfectus. 2. Deinde vultus Dei meminit, quo perpetuo

fruentur electi, qui cum perpetuo adfuturus sit  
 ut summum bonum, non potest aliud fieri, quam  
 ut sit summa latitia, ob presentiam istius summi  
 boni quo fruemur. 3. Ponit iucunditates in dex-  
 tera Dei, id est, summas delicias & spirituales  
 voluptates ex contemplatione maiestatis diuinae.  
 Horum bonorum gustum per exiguum sentiunt, qui  
 vere credunt, & aguntur spiritu Dei.

DE QVARTO.

*Quæ est fides & quis usus?*

*Fides & usus petantur ex superiori articulo.*

*Contrahe breuiter hanc quar-  
 tam Symboli partem.*

Credo in Spiritum sanctum uerum &  
 æternum Deum, consubstantialem patri  
 & filio, sanctificatorem Ecclesiæ, quæ do-  
 nata remissione peccatorum olim ad uo-  
 cem Dei excitabitur ad uitam æternam per  
 Christum Iesum, cui cum patre & Spiritu  
 sancto sit honor in sæcula sæculorum, Amén.

DE III. PARTE.

*Quæ*

*Quæ est tertia pars Catechismi?*

Oratio.

*Quæ sunt cognita necessaria pie precantibus?*

Tria.

1. Quid oratio, & quotuplex.
2. Circumstantia orationis perpetuæ.
3. Precandi forma.

DE PRIMO.

*Quid est oratio?*

Est supplex eleuatio animæ hominis ad Deum, vel aliquid ab eo petentis, vel ei gratias pro collatis beneficijs agentis. Hanc definitionem ex multis dictis psalmoreum confirmari manifestum est. Nam cum dicit Dauid, *Ad te leuaui animam meam*: item, *Ad te Domine leuaui oculos meos*, significat piam orationem esse animæ supplicem eleuationem ad Deum petentis aliquid ab ipso, vel gratias agentis. Gestus præterea leuantium manus, & oculos inter precandū celum



versus, hanc etiam confirmant definitionem.  
 Huc accedit antiquissima Ecclesie precatio: Sur-  
 sum corda habemus ad Dominum. Cum hac no-  
 stra definitione conuenit etiam græca illa anti-  
 quissimi cuiusdam Theologi. *προσευχή ἐστὶ ἀνάστασις*  
*τοῦ νοῦ πρὸς τὸν Θεόν, καὶ αἰτήσις τῶν προσηκουσίων*  
*παρ' αὐτῆς, Hoc est, Oratio est ascensio mentis ad*  
*Deum, & petitio rerum utilium ab ipso.*

### Quotuplex est oratio?

Paulus 1. Timoth. 2. quatuor genera nume-  
 rat, quorum primum est deprecatio. 2. Adora-  
 tio. 3. Postulatio. 4. Gratiarum actio.

### Quid est deprecatio?

Est simplex eleuatio animæ hominis ad Deum,  
 qua petitur liberatio ab ijs, quæ nobis molestant  
 adferunt: vt cum pij petunt sibi remissionem pec-  
 catorum, & liberationem à malis.

### Quid est adoratio?

Est simplex eleuatio animæ hominis ad Deum,  
 qua petitur aliquod beneficium: ut cum pij petunt  
 regnum Christi in se confirmari, & panem quo-  
 tidianum sibi dari.

### Quid est postulatio?

Est supplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua vel vnus pro alio, vel omnes pro se inuicem preces fundunt. Ut cum Ecclesia Dei petit sanctificari nomen Dei per orbem vniuersum, Aduenire regnum Dei, fieri voluntatem ipsius in terra quemadmodum in celo fit.

*Quid est gratiarum actio?*

Est supplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua gratiæ Deo aguntur, vel pro beneficijs nobis alijsue collatis, vel pro malis à nobis alijsue sublatis.

DE SECVNDO.

*Quæ sunt perpetuæ piæ orationis circumstantiæ?*

Quinque sunt, quæ continentur hoc versiculo. Affectus, causæ, quis, per quem, quidq; petendum.

*Qualis ergo affectus precantis esse debet?*

Precaturus. 1. Exuat omnem opinionem propriæ gloriæ, dignitatis & meriti. 2. Sentiat vere suam inopiam. 3. Prosternat se coram Deo

in vera pœnitentia. 4. Afferat firmam fiduciam, & quod velit liberaliter, & gratuito operæ ferre petentibus.

*Quæ causa nos ad precandum movebunt?*

Septem, quas hoc disticho complector.  
Mandatum, promissio, crux, victoria, Satan,  
Consuetudo precum, factum, facient ut adores.

Prima ergo causa est mandatum Dei, quo requirit à nobis Deus cultum inuocationis, qui est precipuus in Ecclesia. Hic enim cultus requiritur in secundo præcepto, & mandatum sepe repetitur in Prophetis, Psalmis, & Euangelicis scriptis, Inuoca me inquit, & in Deut. Dominum tuum adorabis, & illum solum coles. Secunda causa est promissio, quod Deus velit inuocantes exaudire: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & ego exaudiam te. Et Christus: Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Tertia causa est sensus inopiæ nostræ atque adeo totius Ecclesiæ, æconomiarum, & politiarum. Quarta causa est victoria in tentationibus, iuxta illud Christi: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quinta causa perpetuæ insidiæ diaboli, aduersus quas nullum est tutius refugium quam pia oratio, Unde Salomon, Turris fortissima nomen

men Domini, ad eam transfugiet iustus & saluabitur: & Paulus ad Ephes. 6. Accipite gladium spiritus, qui est verbum Dei per omnem orationem & postulationem. Sexta causa est, quod consuetudo orandi conseruet hominem in pietate, & causa est aliorum multorum exercitiorum pietatis. Septima causa, Exempla Patriarcharum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, atq; adeo omnium piorum, quorum præcipuum & summum studium fuit crebras ad Deum preces fundere.

*Quis est inuocandus?*

Is qui solus *καθ' ἑαυτὸν* est: Nam cum oratio sit potius explicatio cordis, quam clamor vocis, & nemo potest gemitus cordium videre præter solum Deum, erit solus inuocandus vnus, & æternus Deus, pater, filius & Spiritus sanctus. Et David in suis precibus vocat Deum scrutatorem cordium & renum, hoc est, secretissimorum affectuum. Et Apostoli in oratione Act. 1. dicunt: Et tu Domine *καθ' ἑαυτὸν* omnium. Deinde cum Dei mandatum sit, vt non confidamus in carnem, id est, in vllam creaturam, sequitur sacrilegium esse vllam creaturam inuocare. Nam quod creaturæ tribuitur, illud impie Deo adimitur. Nec vlli sancti, Prophetæ, Patriarchæ, & Apostoli, aliq; qui habuerunt verum pietatis testimonium, inuocarunt nisi solum Deum.

*Quomodo invocabimus, cū  
scriptura dicat, Deum pec-  
catores non exaudire?*

*Quia peccatores sumus, est datus nobis à Deo  
patre mediator & sacerdos, Deus & homo, Ie-  
sus Christus. Quare ipse ait: Quidquid  
petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ne-  
que tamen promiscue Deus omnes peccatores ex-  
audit nominantes in suis precibus filium Dei, Sed  
tantum eos qui pœnitentiam agunt & peccare de-  
sinunt, qui non ut peccatores, sed ut iusti iam  
apparent in conspectu Dei.*

*Quid est petendum?*

*Duplicia sunt bona, similiter etiam duplicia  
mala. Sunt bona, sine quibus salus contingere  
non potest, & sunt bona quorum usus est tan-  
tum in presenti vita. Sunt mala impediencia sa-  
lutem, & sunt mala, que nobis molesta sunt  
tantum in hac vita. Ut ergo bona, sine quibus sa-  
lus contingere nequit, petenda sunt sine conditi-  
one, & bona conducentia in hac vita petenda  
sunt cum conditione: Ita mala per se impediencia  
salutem deprecanda sunt sine conditione, que  
vero alioqui molesta sunt, cum conditione depre-  
cabimur.*

*Quomodo*

*Quomodo ergo precipitur,  
ut petamus sine hesitatione,  
Nam qui cum conditione  
petit, non certo sibi persua-  
det quod sit accepturus quæ  
petit?*

*Fides sibi certissime persuadeat, quod Deus  
velit exaudire preces suas veras. Verum quia ho-  
mines aut petunt, quæ utilia esse putant, aut de-  
precantur quæ sibi nociva esse existimant, & sæpe  
falluntur iudicio (nescimus enim quid oraturi si-  
mus quemadmodum oportet) Spiritus intercedit  
pro nobis, dando quæ suo iudicio iudicat nobis uti-  
lia esse, & auferendo ea à nobis mala, quæ suo iu-  
dicio iudicat nobis nociva esse: Is enim rectissime  
iudicat & quid expediat nobis, & quid non ex-  
pediat. Non igitur dubitat fides, quin Deus suas  
preces exaudiat. Nam si id non dat quod petitur,  
certe id quod multo melius est, largitur, Lucae vii  
decimo cap.*

DE TERTIO.

*Quæ est forma precandi?*

*Multæ extant precandi formæ præcipue in Psal-  
mis : Verum Christus vnâ certam suis discipu-  
lis commendauit , Matth.6.Luc.11.*

*Quænam est illa?*

Pater noster qui es in celis. Sanctificetur  
nomen tuum. Adueniat regnum tuum.  
Fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra.  
Panem nostrum quotidianum da nobis  
hodie. Et dimitte nobis debita nostra, si-  
cut & nos dimittimus debitoribus nostris.  
Et ne nos inducas in tentationem. Sed libe-  
ra nos a malo. Quia tuum est regnum po-  
tentia, & gloria in sæcula sæculorum, Amē.

*Quæ sunt potissimū in hac  
oratione consideranda?*

*Tria.*

1. *Commendatio huius orationis.*
2. *Partitio eiusdem.*
3. *Partium declaratio.*

*DE PRIMO.*

*Recita locos commendati-  
onis huius orationis.*

*1. Corin-*

1. Commendatio sumitur ab auctoris maiestate, unde Augustinus: Maxima ab omnibus Dominicae orationi exhibenda est reuerentia, quia à summo doctore facta est.

2. Commendatio sumitur ab auctoris sapientia, ut qui Deus est sapientissimus, omnia experenda, & fugienda digessit optimo ordine, unde Chrysostomus: O quam beata est hæc oratio, cuius ordinem doctor vitæ, & magister celestis instruit.

3. Sumitur ab auctoris affectu erga homines: Is enim natura æternus æterni Dei filius descendit de celo, & assumpta humana natura, factus est pro nobis natura filius iræ  $\lambda\acute{o}\tau\epsilon\sigma\omicron\iota$ , ut nos per adoptionis gratiam filij Dei fieremus.

4. Commendatio sumitur ab orationis utilitate. Nam & quid ab optimo Deo petere liceat, & quid nobis clementer largiri velit, edocet.

5. Commendatio sumitur ab orationis breuitate: Nam breuissimo compendio res experendas & fugiendas in Ecclesia, in æconomia, & politica continet.

6. Commendatio sumitur ab orationis claritate: Nihil enim obscuris obuoluitur inuolucris ænigmatum, sed omnia clare & perspicue panduntur.

7. Commendatio sumitur ab orantis instructione: Nam & quis inuocandus, et qua fiducia, & quid



Et quid petendum sit, Et per quem in ea indicatur.

8. Sumitur ab orantis necessitate: Nam cum Et multis necessarijs egemus, Et multis malis premimur, in hac oratione, monstratur via impetrandi necessaria, Et euadendi ea que molesta sunt.

9. Sumitur ab orantis dignitate: Nam illos solos orare posse, qui filij Dei sunt, monemur huius orationis forma.

## DE SECVNDO.

### Quæ est partitio orationis Dominicæ?

Orationis Dominicæ partitio trimembris est. Secatur enim in compellationem, in septem petitiones, Et in confirmationem: Compellatio seruit fidei orantis excitanda, Et confessio: Septem petitiones sunt rerum expetendarum Et frugiendarum propositiones: Confirmatio spernet, Et confirmat precantis fiduciam, ut certe se consecuturum speret, que in nomine Mediatoris petit.

## DE TERTIO.

De de-

*De declaratione.*

Declara compellationem, quæ est: Pater noster qui es in celis? In hac compellatione sunt tria perpendenda. 1. Quis sit inuocandus, & quo sit erga nos animo. 2. Quæ fiducia sit orandum. 3. Quales deceat esse eos qui efficaciter orare volunt.

DE PRIMO.

*Quis est inuocandus?*

Deus solus, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hic æternus Deus patris nomine est inuocandus.

*Cur pater dicitur?*

Hoc etsi supra in Symbolo explicatum est: hic tamen breuiter est repetendum: Dicitur autem Pater creatione & adoptione. Quod autem dicitur Pater creatione, probatur illo dicto Deut. cap. 32. Nonne Deus est pater tuus, qui possidet te, creauit, & fecit. Hac paternitas monet nos, quod etsi peccatores sumus à nobis: tamen ab ipso sumus, utpote eius creatura quam amat, & cuius miseretur, iuxta illud Sap. Misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Hac dilectione

lectione motus pater, peccato nos perditos redimere statuit, & vt satisfaceret suæ iusticiæ, dedit filium, iuxta illud: Sic Deus dilexit mundum &c. Quod autem adoptione sumus filij, modo in Christum credimus, probatur illo dicto Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, Et Gal. 4. Quando ventus plenitudo temporis, emisit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptaremur in filios. Hac adoptione, tametsi peccatum nobiscum perpetuo circumferimus, placemus Deo, & ipse nos paterna storga complectitur.

### *Cur additur, qui es in celis?*

1. Ut precaturus sciat se inuocare eum qui est omnipotens, Dominus dominantium, Rex regum, iuxta illud 1. Timoth. 6. Solus potens dominus dominantium, Rex regum.
2. Ut precaturus sciat hunc Deum, qui in alto habitat, implere omnia & contemplari, atq; ad eum omnium cordium recessus videre.
3. Ut precaturus sciat diuinum numen non esse alligatum creaturis, idolis, statuis, simulacris, vt in ijs adoretur.

4. Ut precaturus sciat se inter orandum debere cor & mentem in celum leuare, vbi in maiestatis gloria astat mediator noster patri, & intercedit pro nobis.

*An non Deus ubique est?  
Cur igitur non dicitur in  
oratione, pater noster qui  
es ubique?*

Quidam ex sanctis patribus dicit hoc additum esse propter tria. 1. Ut feruore spiritus adoretur. 2. Ut mens orantis ad celestia eleuetur. 3. Ut celestia petantur. Ego quartum addo, videlicet vt occurratur errori Ethnicorum, qui se Deum adorare in creaturis coram certis statuīs dicere solebant.

DE SECVNDO.

*Qua fiducia est orandū?*

Hoc colligendum est ex ijs quæ dicta sunt. Nam cum pater sit qui inuocatur, debent precantes statuerē, & quod se propter Christum in filios adoptauerit, & quod clementer velit largiri ea, quæ nobis necessaria esse nouerit, modo ea serio ab eo petamus. Ac cum additur: Qui es in celis, fides

fides duo colligit, nempe quod & possit dare que  
petimus, & quod nemo dantis manum cobibe-  
re valeat.

DE TERTIO.

*Quales nam esse oportet eos,  
qui efficaciter cum fructu  
orare volunt?*

I. Quod ex dictis patet, debent esse filij Dei, qui  
petunt, non portiones seruorum cum Ismaele, sed  
hereditatem filiorum cum Isaac. 2. Debent esse  
imitatores paternarum virtutum, ne nobis esse  
deprehendantur, vnde illud: Estote imitatores  
Dei. Item: Estote misericordes sicut pater vester  
&c. Estote sancti quia ego sanctus sum. 3. De-  
bent suum patrem honorare, mente, voce, &  
vita, iuxta illud Malach. 1. Si ego pater sum,  
vbi honor meus. 4. Debent, qui communem  
patrem inuocant, fraternitatem piam colere in-  
ter sese: Nam qui odit fratrem suum, & dicit se  
Deum diligere, mendax est. 5. Quod omnes in-  
uocantes vere sint vnum in Christo, adeo vt in  
Christi Spirituali regno non sit discrimen regis &  
stabularij, diuitis & pauperis, nobilis & ignobi-  
lis. Nam hae personae omnes exuenda sunt in spiri-  
tuali

tuali Christi regno, quæ tamen suum locum in externa Ecclesiæ societate, in œconomis & politijs retinere debent.

De ordine septem petitionum. Expone rationem ordinis harum septem petitionum?

Discipulorum Christi atque adeo omnium hominum primum votum esse debet, ut firmum & immotum cultus Dei fundamentum iaciatur, quod est solida eius noticia, idq; in eum finem, ut regnum Dei erigatur, stabiliatur, & propagetur, & ciues in eodem debitam obœdientiam regi celesti præsentent. Ideo Christus iubet primum petitionem Dei. Deinde aduentum regni. Tum obœdientiam ciuium in eodem regno. Deinde quia in hac mortali vita regnum Dei incoatur & erigitur, ubi varijs opus habet præsidijs, iubet quarto loco, ut petamus quicquid ad huius vitæ sustentationem & conseruationem facit. Verum quia ea corruptio est naturæ humanæ, quod facilis sit lapsus in errata & mutuas offensiones: quinto loco docet petendam esse condonationem istorum lapsuum & erratorum, ne propter ea à regno Dei excludamur. Postremo quia sunt duo

M acerrimi

acerrimi hostes, qui conspirauerunt aduersus regnum Dei, caro & Diabolus, docet petendam esse defensionem aduersus eos, idq; in sexta & septima petitione. Hic ordo est orationis Dominicae, in qua nihil omissum est, quod vel ad gloriam Dei pertinet, vel ad nostram salutem spectat, vel ad sustentationem nostri in hac mortali vita requiritur.

### DE PRIMA PETITIONE.

*Quæ est prima petitio?*

Sanctificetur nomen tuum.

*Quid est nomen Dei?*

Est noticia, & fama Dei iuxta eius virtutes facta, & merita.

*Quid est sanctificari?*

Est sacrosanctum haberi, summa cum veneratione coli, & vsurpari.

*Quid est sanctificari nomen Dei?*

Est noticiam Dei, & famam eius secundum facta,

facta, virtutes, & merita sacrosanctam haberi,  
summa cum veneratione coli, & usurpari.

*Quid? an non Dei nomen  
sanctum est sine nostra pre-  
catione?*

Imo in omni aeternitate in se sanctum est: Sed  
nos precamur, vt tale nobis habeatur, quemad-  
modum ex definitione posita patet.

*Quid petimus summam  
in hac prima petitione?*

vt precamur sanctificationem nominis Dei:  
Ita prophanationem eiusdem deprecamur.

Age, cum hoc obscurius sit  
in genere dictum, explicati-  
us per species expone: Et  
cum in hac petitione sit pre-  
catio expressa, & depreca-  
tio implicita, dic primum de  
precatatione.



Cum petimus sanctificari nomen Dei quinque precamur.

Primum enim precamur, vt secundum opus Dei sit eius nomen. Opus autem Dei triplex est: Creationis, gubernationis, & redemptionis. In his virtutes summæ relucet: Omnipotentia, sapientia, iusticia, misericordia, paterna storga, veritas &c. Cum ergo petimus sanctificari nomen Dei, petimus agnosci opera Dei, celebrari Deum propter potentiam, sapientiam, iusticiam, misericordiam.

2. Precamur, vt secundum nomen Dei sit eius inter omnes noticia. Ad hanc noticiam requiritur, vt noster triumphator Christus mittat nobis dona, conseruet ministerium, verum sacramentarium vsu, & disciplinam Ecclesiæ. Cum ergo petimus sanctificari nomen Dei, petimus dari fideles doctores in Ecclesia, conseruationem ministerij, salutarem disciplinam.

3. Precamur, vt secundum eius noticiam sit hominum in eum fiducia, & omnia bona ab ipso expectent, tanquam à patre clementissimo.

4. Ut secundum debitam fiduciam sit eius laus & celebratio inter homines, iuxta illud Psalmi 48. Secundum nomen tuum laus tua in omnes fines terræ, iusticia plena est dextera tua, letetur Zion, & exultet filia Iuda propter iudicia tua.

5. Ut secundum debitam eius laudem fiat sancta

sancta nominis Dei usurpatio inter homines per inuocationem, prædicationem, confessionem, per cultum iurifurandi, & alia opera, quæ in secundo præcepto requiruntur.

*Quid deprecamur in hac petitione?*

Etsi hoc intelligi potest ex Antithesi, tamen breuiter indicabo quæ præcipue hic deprecamur.

1. Deprecamur omnium hominum & diabolorum technas, qui vel opera Dei, vel virtutes obscurare volunt, vel tribuere hominibus, aut Diabolo quod est Dei, vel tribuere Deo, quod est Diabolorum & malorum hominum, vt sunt multa facta pugnancia cum primo & secundo præcepto.

2. Deprecamur corruptelas doctrinæ celestis, & sacramentorum, tyrannidem impredientium cursum Euangelij, hæreses & alia, quibus vera Dei noticia, vel corrumpitur, vel omnino aboletur.

3. Deprecamur Epicuræum contemptum Dei, barbaram negligentiam, academicam dubitationem, stoicam astorgiam.

4. Deprecamur ingratitude omnium hominum, qui Deum vel non agnoscunt, vel agniti non prædicant.

5. Deprecamur prophanam usurpationem nominis Dei, quæ cum in moribus malis, tum

*in lingua abutente nomine Dei conspicitur.*

*Hoc est, deprecamur impuritatem morum,  
& nominis Dei sacrilegam usurpationem.*

*Necessitas huius petitionis petatur, quemad-  
modum et sequentium, ex ijs quæ supra dicta sunt.*

### DE SECUNDA.

*Quæ est secunda petitio?*

*Adueniat regnum tuum.*

*Quid est regnum Dei?*

*Est gubernatio celestis, qua Deus omnia certis  
legibus administrat & moderatur.*

*Quid est aduenire regnum  
Dei?*

*Est per continuos progressus augeri, & sem-  
per noua accessione dilatari, & multiplicari.*

*Quid petimus in hac peti-  
tione?*

*Ut precamur Dei regnum aduenire: Ita de-  
precamur Satanae regnum, & omnia quæ regnum  
Dei impediunt.*

*Habet*

Habetne aliud hæc petitio  
quam precationem & depre-  
cationem?

Habet & confessionem: Nam cum precamur  
regnum Dei aduenire, confitemur corde & ore,  
quod regnum Dei sit nobis inaccessum, ita vt ad  
illud pedibus nostrorum meritorum, & operum  
ire nequâquam valeamus, agnoscimus ergo gra-  
tuitum donum esse, albo ciuium regni celestis ad-  
scribi.

Explica distinctius quid in  
hac petitione precamur &  
deprecamur?

Ut id fieri possit commodius, dicam quotuplex  
sit regnum Dei, & quæ sint eius proprietates,  
quo eius maiestas & eminentia præ cunctis alijs  
regnis appareat, exciteturq; in nobis ardentius  
regni Dei desiderium.

Quotuplex est ergo regnum  
Dei?

Triplex: 1. Potentie. 2. Gratie. 3. Glorie.  
M 4 Quod

*Quotnam est regnum potentiae?*

*Est gubernatio celestis, qua omnia potenter moderatur Deus, & disponit. De hoc regno loquitur Psalm. 144. Regnum tuum regnum omnium seculorum.*

*Cur dicitur potentia?*

*Quia haec eius quaedam proprietates est, qua distinguitur ab alijs regnis. Regno enim potentiae suae, ut omnia moderatur: ita demones sibi subijcit, contumaces punit, et suos conseruat potenter.*

*Quod vocas regnum gratiae?*

*In quo pater celestis viuit & regnat per gratiam, colligit Ecclesiam, quam dirigit verbo & spiritu, disciplina regit: Verbo enim suam voluntatem docet. Spiritu impellit & mouet corda ut promissionibus credant homines, & faciant imperata: Disciplina regit externos mores.*

*Quotupliciter spectatur hoc regnum gratiae?*

*Dupli-*

Dupliciter : Ut est priuatum & publicum , vt spectatur in singulis membris seorsum, & in toto corpore simul.

*Priuatum regnum gratiae quod?*

Est per quod Christus in cuiusque conscientia regnat, & uiuit : Conscientia enim libera est, & regnat libertate donata à liberatore Christo, iuxta illud : Si filius uos liberauerit uere liberi eritis. De hoc Paulus loquitur Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Hoc regnum gratiae in conscientia cuiusque, vt opera carnis euertunt : Ita opera Spiritus eius testimonia sunt & illud conseruant.

*Quodnam est publicum gratiae regnum?*

Est per quod Christus in toto corpore Ecclesiae uiuit & regnat, in quo membra Ecclesiae inter sese coaptat & coagmentat, vt vno Spiritu Christi omnia uigeant & uiuant. Hoc regnum publicum Ecclesia Catholica appellatur. De hoc loquitur Dominus cum ait : Regnum Dei inter uos est. Item Matth. 6. Quærite primum regnum Dei & iusti-

& iusticiam eius. Huc & illud Matth. II. A discipulis Iohan. Baptiste regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud, id est, homines abrupti mundi, & carnis vinculis, & firma in Christo fiducia concepta inuadunt regnum Dei.

### Cur hoc dicitur Gratia?

Quia est regnum gratuita remissionis peccatorum, gratuita imputationis iusticie, gratuita acceptationis ad vitam aeternam, gratuita donationis spiritus sancti: Breuiter, quia nos in albuminum huius regni ex mera gratia celesti adscribimur. Atq; hac est huius regni proprietas.

### Quodnam est regnum gloriae?

Est per quod resuscitatis corporibus in omni aeternitate electi cum Christo regnabunt. De hoc loquitur Dominus cum ait: Venite benedicti patris mei & possidete regnum vobis a constitutione mundi paratum. Item, Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Item in Psalmo: Satiabor cum apparuerit gloria tua, & illud Matth. 12. Nolite timere pusille grex, quia conplacitum est patri vestro dare vobis regnum. In hoc dicto obseruetur, quod Dominus vocet regnum Dei, donationem ex paternae misericordiae sanctae promissae.

promanantem, ita ut sit merum Dei donum, quemadmodum & Paulus testatur cum ait. Donum Dei est vita aeterna per Dominum nostrum Iesum Christum.

*Cur gloria dicitur regnum?*

Potissimum propter quatuor, 1. propter summam iusticiam, Esaiæ 1. Populus tuus omnes sancti erunt. 2. propter perfectissimam libertatem, quam expectant solite creature Dei, Rom. 8. Tunc enim libertas filiorum Dei nullis impedimentis turbabitur. 3. propter admirabilem omnium rerum abundantiam, cum Deus erit omnia in omnibus. 4. propter gloriosam Maiestatis diuinæ presentiam & contemplationem, quæ nullis temporum interuallis obscurabitur.

*Teneo quotuplex sit regnū,  
& quæ eius proprietates, Iam  
breuiter quid petamus in  
hac secūda petitione expone.*

1. Precamur ut regnum Dei, quod gratiæ dicitur, quotidie pijs incrementis augeatur, ut multi ciues in eius catalogum referantur.
2. Precamur ut Christus huius regni Monarcha sit.



cha suam Ecclesiam sceptro suo regio administret,  
id est, verbo & spiritu dirigat.

3. Ut imperiū spiritus in singulis Ecclesia membris aduersus carnem magis magisque augeatur.

4. Ut ciues huius regni sancta quadam disciplina regantur, quo multi illorum exemplo ad hoc gratiæ regnum inuidentur.

5. Ut eodem spiritu in hoc gratiæ regno conueniamus ad beatum illud gloriæ regnum tandem perueniamus duce Domino nostro Iesu Christo.

### Quæ deprecamur?

1. Deprecamur regnum Satanae, qui per homicidium, & mendacium variaque scelera, & flagitia regnant in filiis diffidentiae.

2. Tyrannidem satellitum Satanae, quales sunt Turca, Papa, & Tyranni persecutores Euangelii, & deuastatores regni gratiæ.

3. Tyrannidem carnis propriæ militantis aduersus spiritum, & conantis nos captiuare deo sub regno Diaboli.

4. Deprecamur scandala, quibus deformatur regnum gratiæ, & dissensiones ciuium huius regni inter sese.

5. Deprecamur omnem atractionem & confusionem, quibus impeditur, quo minus hoc regnum gratiæ propagetur & dilatetur. Breviter, omnia impedimenta regni gratiæ deprecamur.

*Qua est tertia petitio?*

*Fiat uoluntas tua sicut in celo & in terra.*

*Quid? an non scriptum est  
Rom. 9. Voluntati eius quis  
resistere potest. Item in psal-  
mo: Omnia quae uoluit fecit  
in celo & in terra?*

*Huic questioni Cyprianus eleganter & bre-  
uiter in hunc modum respondet: Non petimus,  
ut Deus faciat quod uult, Sed ut nos possimus fa-  
cere quod ipse uult.*

*An quicquam fieri potest  
contra Dei uoluntatem?*

*Certe multa sunt quae Deus non uult. Nam de  
peccato scriptum est in psalmo: Non uolens ini-  
quitatem tu es. Hic manifestum est fieri aliqua  
contra, & praeter uoluntatem Dei.*

*Hoc absurdum est nihil re-  
sistere uoluntati Dei dicere,  
& multa*

Et multa tamen fieri contra Dei voluntatem, Dic ergo quomodo hoc intelligam.

Ut commode intelligi possit, sciendum est, quod duplex voluntas Dei ex scripturis statuitur. Est enim voluntas antecedens, & voluntas consequens: Præter utramque est permissio, qua Deus ea quæ non vult permittit.

Quæ est voluntas antecedens?

Huius ratio duplex est: Alia est enim voluntas Omnipotentia, alia <sup>in</sup> <sup>de</sup> <sup>o</sup> <sup>xi</sup> <sup>as</sup> seu approbationis. Voluntas Omnipotentia, est qua Deus vult res à se conditas gubernare & moderari & in suum obsequium adducere. Huic voluntati resistere nemo potest. Quare petitio hæc de ea intelligenda non est. Voluntas <sup>in</sup> <sup>de</sup> <sup>o</sup> <sup>xi</sup> <sup>as</sup> seu approbationis est duplex: scilicet voluntas finis, & voluntas ad finem. Voluntas finis, qua Deus vult homines assequi finem cuius gratia creati sunt, iuxta illud. 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri. Voluntas ad finem est, qua Deus vult ea ab homini-

hominibus fieri, quæ ad finem consequendum pertinent, quæ sunt: vt homines veniant in cognitionem veritatis Dei: vt cognita veritati credant: vt credentes iustificentur & regenerentur: vt regenerati veram ex fide obædientiam præstent, & in pietate perseuerent vsque ad finem, iuxta illud: Beatus qui perseuerauerit vsq; ad finem. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatione vestra. Hanc voluntatem in hac tertia petitione petimus.

*Quæ est voluntas consequens?*

Est quæ consequitur hominum facta secundum iusticiam Dei, quæ impijs supplicia, & pijs promissa bona reddit, iuxta sententiam illam sapissime in scriptura inculcatam: Reddet unicuique secundum opera sua.

*Quæ est permissio?*

Est quæ Deus permittit, vt bonis & malis propositis, voluntas eligat quæ vult. Hæc permissio confirmatur Deut. 30. his verbis: Testes inuoco celum & terram, quod proposuerim tibi vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, voci illius obædias, eiq; adhereas. Hoc testimonio manifestissime probatur, quod sit voluntatis quædam

permittat, quod si non faceret, destrueret opus suum Deus, nempe libertatem voluntatis. Ad hæc, qui per violentiam cogitur ut aliquid faciat vel non faciat, eius opus voluntarium dici non potest, atq; ideo nec supplicia nec præmia mereri.

*Estne voluntas ipsa vel bona vel mala?*

Si substantiam spectas, id est, ipsam naturam volendi facultatem, semper bona est, ut que ab optimo Deo est. Verum si habitum spectas, pro statu hominum variat: Adam enim ante lapsum habuit voluntatem bonam & substantiam & habitum. Verum post lapsum in corrupta natura mansit quidem voluntas, quantum ad substantiam bona, sed mala effecta est ex corruptione quia vult mala. Cum ergo petimus fieri voluntatem Dei, precamur ut nostrum velle, quod est per naturam malum, fiat per gratiam bonum, unde quidam antiquus Theologus pereleganter ait: Si voluntas est bona ex homine sine regeneratione, dicat christianus in oratione, fiat voluntas mea. Cum erga precamur, fiat voluntas tua, confitemur nostram voluntatem natura malam esse, quam precamur bonam fieri per gratiam, quam

quam cum adepti simus vere bona dici potest.

*Intelligo quæ sit ratio voluntatis Dei, & permissionis, iam explana petitionem.*

Quemadmodum precamur fieri voluntatem Dei: ita deprecamur fieri voluntatem nostram, quatenus adhuc corrupta est, & non reformata manu Dei. Augustinus eleganter summam huius petitionis explicat, cum inquit: Fiat voluntas tua, ut quæ odis odiamus, & quæ diligis diligamus, & quod precipis perficiamus.

*Hoc quidem rotunde dictum est, sed cupio explanationem magis distinctam.*

Eam dabo vbi prius breuiter regulam, ad quã vult Deus voluntatẽ nostram exigi, declarauero.

*Quæ est illa regula?*

Hæc signatur cum additur in precatone: Sicut in celo. Nam cum vult Dominus nos aspirare ad celestem consuetudinem angelorum, præcipit vt nostra voluntas cum illorum congruat.

N

Cum

Cum ergo illi caste & sancte voluntati diuine obtemperant, iubet petere vt nos illorum exemplum imitantes, sancte casteq; hanc vitam transigamus. Qualis autem sit obœdientia, & voluntas angelorum significatur in Psalmo 102. his verbis: Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, qui facitis verba eius, & ad audiendum vocem sermonis eius.

*Iam dic per partes quid precemur in hac tertia petitione.*

1. Precamur voluntatis Dei certam & claram noticiam, idq; ex ipsius verbo, lege & Euangelio, & Prophetis & Apostolicis enarrationibus.
2. Cor mundum creari in nobis, & spiritum rectum in visceribus nostris, Psal. 51.
3. Vt offeramus corpora nostra hostiam sancti, rationalem cultum nostrum, vt probemus quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.
4. Reformationem imaginis Dei in nobis, in vera iusticia & sanctitate, ad Hebr. 4. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.
5. Vt in totius Ecclesie corpore in Oeconomis & politijs singuli faciant suum opus sincere & in timore Dei: Vt Magistratus bene regat: Patres familias pie administrent familiam suam: Doctores

Doctores in templis & scholis fideliter doceant:  
Et auditores & discipuli suum quique officium  
faciant, & sic de alijs: Breuiter in hac petitione  
precamur, vt omnes homines suam vitam compo-  
nant ad normam legis diuinæ.

### Quid deprecamur?

1. Deprecamur ignorantiam voluntatis Dei,  
& corruptelas doctrinæ, quæ fiunt partim per tra-  
ditiones hominum, partim per doctentium insciti-  
am, interdum etiam maliciam.
2. Deprecamur cordis nostri contumacem re-  
bellionem aduersus voluntatem Dei.
3. Deprecamur corporum nostrorum effrenem  
licentiam qua se subiiciunt impuris affectibus.
4. Deprecamur deformitatem illam qua Satan  
deformauit hominem, & aboleuit imaginem Dei  
in homine.
5. Deprecamur ignorantiam, & inertiam sin-  
gulorum hominum in suis officijs qui vel fraudu-  
lenter, vel negligenter in Ecclesia suo munere per-  
funguntur.

Habetne aliud hæc tertia  
petitio?

Habet correctionem omnium eorum, quæ fi-  
lij Dei, vel imprudenter vel malè petunt à Deo.



Nam dum precantur voluntatem Dei fieri, postulant ut Dei voluntas nostræ voluntati, & errori, & imprudentiæ in precando præferatur: Et ut si quid nocivum petimus, non illud donet, sed potius id quod sua paterna clementia scit nobis utile, & salutare fore.

### D E Q V A R T A.

*Quæ est quarta petitio?*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

*Quid nomine panis significatur?*

Quicquid ad huius corporalis vitæ sustentationem pertinet.

*Quid epitheton ἐπίσσιον?*

Hoc epitheton significat nos petere nobis panem dari, qui nobis in hac vita alendis sufficiens, id est, quo in hac vita superesse, & vivere possimus.

*Cur additur noster?*

1. Ut iusto labore nobis panem nostrum quaeramus. 2. ut abstineamus ab alieno.

*Cur additur hodie?*

*Quia non vult nos esse sollicitos in crastinum cura Ethnica, & profana.*

*Cur petimus nobis panem dari?*

*Hac petitione primum fatemur, modo ex corde precamur, nos coram Deo merè mendicos esse. Deinde nos omnia ab ipsius liberali manu accipere, iuxta illud Psalmi 103. Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore, dante te illi colligent, aperiente te manum, implebuntur omni bonitate. Oculi omnium in te sperant Domine.*

*At qui habet, quomodo ille petit?*

*Habet vt œconomus non vt Dominus. Deinde habet panem, sed non virtutem panis. Luca 12. Non in abundantia hominis vita eius. Et in Deuter. Non in solo pane viuit homo. Sape enim panis, cum non adsit benedictio Domini, sua destituitur virtute. Vnde Esaias cap. 3. Ecce Dominus Deus exercituum Hierosolymæ & Iudæ vigorem & vim ademit, omnem vigorem panis & omnem vigorem aquæ. Pijs igitur obseruandum est, quod duobus modis adimantur nobis alimen-*

ta. Primo dum omnino panis & cibaria, aut sterilitate terræ, aut penuria tolluntur. Deinde cum illorum quidem suppetit copia, sed vis educandi, & sustentandi eis adimitur: Nullum enim fulcrum per se panis afferre potest, nisi Dominus sua benedictione robur addiderit. Vnde Dominus Leuit. 27. minatur, se baculum panis fracturum. Hac similitudine tria docemur. 1. Nos pane ut bacillo sustentari. 2. Ipsum panem nullam alendi ex se facultatem habere, sed eam totam ex benedictione Dei proficisci. 3. vitam nostram concedere, ubi Dominus panem nobis ut vite fulcrum non præbuerit.

Ad questionem igitur sic respondendum est. Diues petit ut œconomus à patrefamilias, et quia panis per se non nutrit sine benedictione Domini, petit à Deo, ut virtutem nutriendi pani suppediet.

Explicata vocabulorum virtute, Dic primum quid in genere precamur, & deprecamur.

Ut precamur nobis quotidianum panem dari, id est, nos in hac vita sustentari: Ita deprecamur famem, & quæ nobis in huius vite curriculo molesta sunt.

*Hæc quid sint in genere intelligo, Sed dic sigillatim ea quæ sub hoc genere continentur.*

1. *Cum panis haberi non potest sine defensione magistratus, legibus, & bene constituta republica, precamur ut Deus omnes status tueatur, assit imperijs, tueatur œconomias, & politias.*
2. *Precamur bonam valetudinem.*
3. *Fecunditatem terræ, commodas tempestates, pluuiam, & serenitatem pro rerum nascentiis commoditate.*
4. *Precamur ut Deus fructibus natis virtutem per suam benedictionem largiri dignetur.*
5. *Sanctam quandam curam in patribus familiaribus, gubernatoribus, & alijs, ut singuli suum officium in timore Dei faciant.*
6. *Ut nostra sorte cõtenti simus, iuxta illud Timot. 6. Habentes alimenta, his contenti simus.*
7. *Ut nostris bonis, cum in nostrum bonum, tum in aliorum commodum recte utamur.*
8. *Ut simus grati, ne vnquam ipsius donis utamur sine ipsius benedictione, inuocatione, gratiarum actione, & prædicatione.*

*Quid deprecamur?*

1. *Bella, turbationem legum, & iudiciorum, à rariis in ordinibus & statibus hominum.*
2. *Morbos cum publicè grassantes: qualis est pestis, & alij contagiosi morbi, tum eos qui singulos inuadunt, quibus impediuntur homines, quo minus suis officijs rectè perfungi possint.*
3. *Sterilitatem terræ, tempestates nociuas. Item bestiolas à quibus fructus terræ in pœnam ingratorum hominum absorbi solent.*
4. *Deprecamur vtrunque, & Ethnicam solitudinem, & asiniam ignauiam.*
5. *Tentationes & laqueos Diaboli, in quos illi incidunt, qui volunt ditescere, 1. Timot. 6.*
6. *Cyclopicam hominum ingratitude, qui creaturis Dei vtuntur sine omni gratitudine.*
7. *Deprecamur abusum rerum, ne donis Dei in luxum, voluptatem, ebrietatem, & superbiam, & contemptum pauperum abutamur.*

*Breuius, omnem iniuriam creaturarum Dei, quas nobis Dominus dedit, vt illis vtamur sibi in gloriam, & nobis in vtilitatem, in vero timore Dei & gratiarum actione.*

#### DE QVINTA.

*Quæ est quinta precatio?*

*Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.*

*Quid*

*Quid vocas debita?*

*Debita sunt peccata, quibus Deū offendimus:  
Et qualibet legis transgressio debitum dicitur.*

*Cur peccata vocantur debita?*

*Propter similitudinem: Ut enim debita civili-  
ter obligant ad solutionem: Ita peccata spirituali-  
ter obligant ad satisfactionem poenae, nisi fiat re-  
missio.*

*Qui fit, quod cum filij Dei  
iusti sint, iubeantur pecca-  
tores se agnoscere?*

*Filij Dei sunt iusti imputatione & incoatione:  
non perfectione. Deinde peccatores sunt natura,  
& varijs lapsibus obnoxij, iuxta illud, 1. Ioan. 1.  
Si dixerimus quod peccata nō habemus, nos ipsos  
seducimus.*

*Cum utrique sint peccato-  
res, renati & non renati,  
sunt ne aliqua discrimina  
peccatorum in illis?*

Immo sunt multa discrimina, quorum hæc sunt præcipua. 1. In impijs est peccatum, & reatus simul: In pijs verò seu renatis, est quidem peccatum, sed non reatus. Absoluti enim sunt à reatu virtute victimæ Mediatoris Iesu Christi. 2. In impijs regnat peccatum per concupiscentias suas, Rom. 6. In pijs vero peccatum premitur & domitur sub imperio spiritus luctantis aduersus peccatum. 3. Non renati scientes & volentes in peccata ruunt, & oblectantur cum mala fecerint: Renati vero tantum infirmitate & ignorantia labuntur, lapsi gemunt & petunt remissionem. 4. Impiorum peccatum est in memoria apud Deum: Renatorum vero in profunda obliuione, iuxta illud: Peccatorum tuorum non recordabor.

### Quæ sunt causæ lapsuum in renatis?

Tres sunt præcipuæ. Prima: Inhabitans peccatum, quod perpetuo molestat sanctos, & ad assentiendum impellere conatur. Huic opponitur fortior spiritus, quo reprimitur tyrannis peccati inhabitantis. Secunda: Insidiæ Diaboli. Nam ut primis parentibus, deinde capiti Christo insidiatus est: Ita omnes alios inuadit, contra quem pugnamus est precibus. Tertia: Improbitas mundi, cuius exemplo renati sæpe labuntur, quod ne fiat, corriganda

gitanda sunt sanctorum exempla, qui se huic seculo nequaquam accommodauerunt.

*Quid est remittere peccatum?*

Est delere, condonare, & abluere peccatum, Item peccatorum obliuisci, & hominem a reatu absoluer.

*Quæ est causa remissionis?*

Nisi remissio esset gratuita, non posset dici remissio, sed cõpensatio potius. Ergo nulla causa est in nobis meritoria remissionis: Verum si Christum spectas, plena est pro peccatis satisfactio.

*Plura ne docet vox remissionis?*

Immo multo plura: 1. Destruit dogma Monachorum de satisfactionibus. 2. Omnia humana merita euertit. 3. Refellit Nouatianorũ errorem, qui lapsis negarunt reditũ ad gratiam. 4. Testatur omnes renatos peccatũ circumferre secum, donec in hac vita versantur. 5. Aperit ianuam salutis miseris & afflictis conscientijs. 6. In agone mortis consolationis fons est. 7. Perpetuo testatur de precio victimæ, cuius beneficio recipimur in gratiam serio petentes condonationem.

*Quid sibi vult appendix ista:*

Sicut remittimus debitoribus nostris?

An



*An non licet à proximis debitum exigere, an oportet sinere contumaces & delinquentes impunitos abire?*

Discernendum est inter debitum ex contractu, & debitum ex læsione seu iniuria. Debitum ex contractu, quia iuste soluitur, iuste & exigitur: seruat tamen caritatis regula. Debitum ex læsione & iniuria condonandum est, de quo solo hæc appendix intelligi debet. Deinde discernendum est inter officium & personam. Officium magistratus est transgressores sue legis punire: Mores parentum pietas requirit, ut peccantes filios disciplina in viam reuocent. Hi enim si hæc non facerent, Deum offenderent, cuius vice funguntur. Interdum tamen ipse magistratus, parentes, & alij condonare debent delinquentibus in se, ut non oderint eos, sed tantum illorum errata corrigant.

*Quid? est ne nostra condonatio causa remissionis peccati coram Deo?*

Nequaquam: Nam parabola de Debitore de-

cijs mille talentorum ostendit nostram condonationem effectum debere esse impetratae remissionis à Deo.

*Quarum ergo rerum nos admonet hac appendix?*

Multarum: 1. Collationis debiti quod nos Deo debemus, & eius quod nobis proximus debet, ut cum viderimus magnitudinem nostri debiti, facilius reddamus ad aliorum debita condonanda. 2. Imitationis paterna, ut dictum est: Ut enim ipse remisit nobis gratis: ita & nos vicissim affecti sumus erga fratres. 3. Obligationis ad condonandum fratribus laesiones, quibus nos offenderunt. 4. Admonet nos poenae in quam incurremus, nisi ex animo condonauerimus proximis sua debita.

*Jam dicito in genere quid precamur & deprecamur in hac petitione?*

Quemadmodum deprecamur peccata & offensas Dei, quibus obligati sumus ipsi ad poenam, nisi remittat: Ita precamur regenerationis & sanctitatis quotidiana incrementa.

*Quid precamur speciatim?*

I. Preca-

1. Precamur perfectionem, iuxta mandatum Dei. Ambula coram me, & esto perfectus, quo possimus vero corde obœdientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteferre.
2. Quotidianorum lapsuum, qui infiniti sunt, & culti, & manifesti, condonationem.
3. Gratiam, ut possimus aliorum errata bene consulere, & in meliorem partem interpretari.
4. Precamur nobis mitiores affectus, quo faciles simus ad remittendum eis, qui nos læserunt.
5. Pacem & concordiam inter membra Ecclesiæ.

### Quid deprecamur?

1. Ignorantiam, qua sæpe labimur, & imbecillitatem, quæ plerunque lapsus causa est.
2. Rigorem, cum in nobis tum in alijs nimis exacte inquirendi de alienis erratis.
3. Morositatem & difficultatem in moribus, unde sæpe oriuntur offensæ.
4. Discordias & dissensiones in Ecclesiæ, unde non tantum oriuntur scandala, quibus alijs alienantur à vera doctrina, verum etiam piorum spiritus exacerbantur.
5. Pertinaciam iræ, odij, liuoris &c.

### DE SEXTA.

Quæ est sexta petitio?

Ecce

Et ne nos inducas in tentationem.

*Quid est tentatio?*

*Est sollicitatio hominis ad aliquid, unde probat qualis sit.*

*Quid est inducere in tentationem?*

*Est sinere hominem tentationibus superari, & ad peccandum impelli. Cum ergo dicitur: Ne inducas, sensus est, ne sinas nos induci.*

*Quotuplex est tentatio?*

*Etsi varie à multis distinguitur: hæc tamen vetus distinctio nobis placet: Vt alia sit tentatio seductionis, Alia præsumtionis, Alia probationis.*

*Quæ est tentatio seductionis?*

*Est sollicitatio hominis ad aliquid perpetrandum aduersus legem Dei, quo facto seductus à familia Dei excluditur.*

*Estne simplex huius tentationis ratio?*

*Non: Nam eius duæ sunt formæ, quarum una intrinseca, Altera extrinseca dicitur.*

*Quæ est tentatio intrinseca?*

*Est*

Est cuius principium & causa in ipso homine est: quales sunt omnes tentationes, que proueniunt ex concupiscentia mala.

*Quæ est tentatio extrinseca?*

Est cuius principium & causa extra hominem, & hæc diuersitate causarum est distinguenda: ut, alia est mundi, alia Diaboli, alia rerum nos circumstantium.

*Quomodo nos tentat mundus?*

Cum sua vanitate & improbitate hominem ad peccandum sollicitat. Et hoc genere tentationis multi succumbunt.

*Quomodo nos tentat Diabolus?*

Varijs modis: Ut per corruptelas doctrinarum, per scandala, & per occasiones variorum scelerum, quas hominibus obijcit, ut eos subuertat. Hinc Petrus dicit eum circumire tanquam leonem rugientem, & querere quem deuoret. Atq; hæc de causa in Euangelio dicitur Tentator.

*Quomodo nos res circumstantes tentant?*

Ante nos: mors, iudicium Dei, infernus. Post nos: peccata praeherita, commissiones, & omissiones. A dextris: potentia, diuitiae, honor. A sinistris: pericula, persecutiones, scandala, externa Ecclesiae forma.

*Qua est tentatio praesumptionis?*

Est sollicitatio hominis, per quam eo inducitur, ut Deum tentet abutendo eius longanimitate, iusticia, misericordia, liberalitate, alijsq; pluribus beneficij. Periculose igitur peccant, qui propterea peccant securius, quia Dei misericordia magna esse praedicatur, & ita de alijs. Atq; haec duo tentationum genera mala & nociua sunt, ut quae in peccatum & a peccato in damnationem inducunt.

*Qua est tentatio probationis?*

Est sollicitatio hominis ad aliquid agendum vel ferendum, quo eius fides & obaedientia erga Deum exploretur: Ut Abraham proposito mandato de mactando filio, suam fidem & obaedientiam erga Deum testatus est, quando potius voluit amittere unicum filium, quam Deo non obaedire. Sic & Iob cruce multiplici probatus est, & in eius cruce fides, & obaedientia tanquam aurum in igne probatior

tior est facta. De hoc tentationis genere loquitur  
Moses Deuteron. 5. Tentavit te Deus, ut scire-  
tur quid esset in corde tuo, an ambulares in man-  
datis eius, nec ne.

*Dic iam summam quid  
precamur & deprecamur?*

*Vt deprecamur tentationum violentos impe-  
tus: ita precamur spiritum Christi, quo confirmati  
poterimus omnium tentationum generibus resistere.*

*Quid speciatim precamur?*

*Primum precamur mentis sanctitatem, ut ea  
cogitemus quæ Deo probantur, & nobis saluta-  
ria sunt.*

*2. Affectuum puritatem, ut ipsi pijs & sanctis  
cogitationibus respondeant.*

*3. Voluntatis consensum in eis, quæ mens pie co-  
gitat, & ad quæ purgati affectus feruntur.*

*4. Piarum rerum memoriam & assiduam me-  
ditationem.*

*5. Precamur victoriam plenam super carne,  
mundo, & Diabolo.*

*Quid deprecamur?*

*1. Impuras mentis cogitationes, quibus irritan-  
tur pravi affectus.*

*2. Præ-*

2. Prauos & viciosos motus ex impuris cogitationibus ortos.
3. Consensum voluntatis in mentis & affectuum impuritatem.
4. Mala sodalitia, praua colloquia, aliasq; peccandi occasiones.
5. Varias technas Satanae, quibus ipse conatur nos à Deo abducere, & in suos laqueos pertrahere. Breuiter, deprecamur quicquid nos villo pacto ad peccandum sollicitare potest.

DE SEPTIMA.

*Quaestio est septima petitio?*

Sed libera nos a malo.

*Quid hic significat malum?*

Malum est duplex: Malum culpa, & malum pœna. Malum culpa deprecari sumus in proximis petitionibus; Malum pœna hic deprecamur.

*Quid est malum pœna?*

Est cum ipsa Satanae tyrannis, tum omnis calamitas, qua vel Ecclesia, vel eius membra in hac vita premuntur, Et est duplex, Priuatum & publicum.



*Quodnam est privatum?*

*Est quicquid singulorū in Ecclesia, vel anima,  
vel corpori, vel fama, vel fortunis aduersatur.*

*Quod est publicum?*

*Est quicquid societati Ecclesie noxium est: vt  
sunt bella, scandala, hæreses, seditiones, sophisticæ  
hypocrisis, & quicquid vinculum Ecclesie villo p  
cto dissoluit.*

*Est ne discrimen inter ma-  
lum quo premitur Ecclesia,  
& malum quo impij affici-  
untur?*

*Est sane, quod ex his locis sumitur. 1. A causis  
efficientibus. 2. A causis finalibus. 3. Ab  
effectibus. 4. A tempore. 5. A loco. Sed de  
his consule Enchiridion in loco de cruce.*

*Quomodo Deus liberat à  
malo?*

*Dupliciter: Assistendo scilicet, & plene liberando.*

*Quomodo*

*Quomodo liberat assistendo?*

Dum vel mitigat malum praesens, vel robur dat patienter ferendi onus impositum, ut cum Paulo dicit, Sufficit tibi gratia mea: vel spiritualibus bonis praesentis crucis acerbiter compensat, ut cum Lazarum spiritu suo erexit, ne in ista miseria in qua fuit abiceret confessionem.

*Quomodo plene liberat?*

Liberabit nos plene, quando in extremo die exitatus donabit immortalitate, & gloria beatitudinis aeternae. Nam tum non solum liberati erimus à malo: verumetiam à periculo omnis mali. Nihil enim mali ijs potest accidere, qui praesenti bono optimo & aeterno Deo ipso fruuntur.

*Quid petimus generatim in hac precatione?*

Vt deprecamur detentionem & captiuitatem in malo: Ita precamur felicitatem & tranquillitatem, ne vllis turbemur malis.

*Quid precamur speciatim?*

1. Pacem totius Ecclesiae cum spiritualem, tum externam.

2. Tranquillitatem & quietem singulorū membrorum Ecclesie, vt, iuxta Pauli dictum, possimus in hac vita piè, & modestè in omni pietate & modestia viuere.
3. Incolumitatem & bonam valetudinem singulorum membrorum in Ecclesia.
4. Plenam liberationem à toto regno Satanae omnibus malis & calamitatibus.
5. Aeternam vitam & felicitatem.

### Quid deprecamur?

1. Bella, scandala, seditiones, hereses & schismata in Ecclesia.
2. Omnia quae sunt noxia singulis Ecclesie membris, idq; vel in animo, vel in corpore, vel in fama, vel in fortunis.
3. Morbos quibus nostrum corpus in hac vita sepe fatigatur.
4. Totum Satanae regnum, peccati & mortis.
5. Aeternam mortem.

## DE CONFIRMATIONE.

### Qua est confirmatio?

Quia tuum est regnum, potentia, & gloria in saecula saeculorum: Amen.

*Age explica mihi hanc rationem.*

*Ratio hæc trimembris est. Prima enim eius pars sumitur à Regis officio: Nam cum ipse Rex est in Ecclesia, & nos eius subditi, fieri aliud non potest, quam vt optimus & clementissimus Rex suis subditis, quos omnes in filios adoptauit, velit adesse, & eos tueri, & conseruare, ac simul etiam eis largiri ea, quæ ipsis salutaria esse nouit. Hinc igitur fides statuatur, quod clementissimus pater velit nos exaudire, Agitur enim regnum ipsius.*

*Secunda pars sumitur à potentia Dei: Huius enim cogitatione accenditur fides, vt omnino sibi persuadeat, quod Deus possit nobis largiri omnia, quæ ex paterna bencuolentia promisit. Non ergo quicquam in rerum natura poterit impedire maiorem Dei, quin liberaliter in nos effundat omnia bona, modo eum ex fide inuocauerimus.*

*Tertia pars sumitur à causa finali: Gloria enim Dei interest, vt nos filios clementissimus Pater exaudiat. Nam dum nos inuocantes exaudit, eum prædicare debemus, atq; alios nostra confessione, & exemplo, ad eum laudandum, & prædicandum inuitare, vt ipsius gloria perpetuo in Ecclesia personet.*

*Quid sibi hæc vox Amen  
vult?*

*Hæc vox fidei est & persuadentis sibi preces  
suas exauditas esse, & reuocantis in memoriam  
promissionem Christi iureiurando confirmatam:  
Amen amen dico vobis, quicquid petieritis patre  
in nomine meo, dabit vobis. Quotiescunq; igitur  
sub fine nostrarum precum nominamus hæc vo-  
cem, reuocemus in memoriam hoc Christi iura-  
mentum, quo confirmata est promissio ipsius ma-  
xime paterna. Est quoq; hæc vox obsignatio que-  
dam fidei certissimè impetrantis ea, que sibi salu-  
taria esse possunt. Proinde qui hæc fidem inter-  
orandum non adhibet, operam ludit, & nullo pa-  
cto precari rite putandus est.*

*GENERALIS DOCTRINA  
DE SACRAMENTIS.*

*Age priusquam descenda-  
mus ad quartam Catechis-  
mi partem, generalem do-  
ctrinam de Sacramentis  
mibi expone.*

Id faciam per libenter: Ita enim rectius intelligetur doctrina de Baptismo & Cæna Domini.

*Quia Sacramenta sunt sub genere signi, dic quaeso quotuplicia signa consideranda sunt in scriptura?*

Triplicia: quædam enim doctrinæ, quædam iræ, & quædam gratiæ sunt testimonia.

*Quæ sunt signa doctrinæ?*

Quæ doctrinæ addita, de eius immota veritate testantur: qualia sunt extraordinaria opera Dei, quæ miracula vocamus. Hæc enim Ecclesiæ data fuerunt, ut celestem doctrinam tanquam firmissima sigilla obsignarent: qualia fuerunt in veteri testamento Rubus ardens, Columna nubis per diem, & Columna ignis per noctem, Exiccatio maris rubri, Aqua fluens de petra, & huiusmodi multa alia: In nouo testamento, Multæ sanationes infirmorum, Excitationes mortuorum, Resurrectio Christi, Ascensio visibilis, Donatio Spiritus sancti, de quibus vide Enchiridion.

*Quis est usus horum signorum?*

*Vt homines his firmissimis testimonijs convicti de veritate Dei non fluctuent opinionibus, sed cito sibi persuadeant firmissima esse, quæ verbis Dei proponit, adeo vt nullæ demonstrationes philosophicæ maiorem certitudinem in se habeant.*

### *Quæ sunt signa iræ?*

*Quæ testantur de ira Dei aduersus homines, & sunt duplicia: Comminantia & punientia.*

### *Quæ sunt signa comminantia?*

*Quæ prænuunciant pœnas hominibus imminere propter sua peccata: qualia sunt quæ conspiciuntur interdum in aëre, concursus hostiles, cometae, Item tempestates & alia multæ apparitiones, de quibus supra dictum est in tertia parte symboli.*

### *Quis horum usus?*

*Vt commonefacti de ira Dei resipiscamus & præueniamus vindictam serua pœnitentia. Hinc esse usum comminantium signorum testantur multæ conciones Propheticæ.*

### *Quæ sunt signa punientia?*

*Hæc sunt duplicia: scilicet corporalia & spiritualia. Corporalia quidem: vt fames, pestilentia,*

tia, gladius, malæ bestie. Spirituality: vt sunt heresis, doctrinæ deprauatio, prophanatio Sacramentorum, cultus idololatrici à tyrannis defensio, schismata.

*Quis horum usus?*

Vt his ferulis Dei castigati clamemus ad ipsum, & conuertamur à vitijs nostris pessimis per veram pœnitentiam.

*Quæ sunt signa gratiæ?*

Sunt quæ adiunguntur promissionibus diuinis, et testantur de gratia Dei erga homines: Et hæc vsu Ecclesiæ dicuntur sacramenta, & Græcè *μυστήρια*, quia sunt externa quedam signa seu externæ actiones, quæ habent coniunctam spiritualem contemplationem. De hoc genere signorum in Catechesi puerorum solummodo tractari solet.

*Age dic quæ in genere spectanda sunt in sacramentis seu signis gratiæ?*

Quatuor spectantur. Primum quæ sit ratio sacramentorum. 2. Quot genera. 3. Differentia inter sacramenta veteris & noui testamenti. 4. Quæ, & quot sint sacramenta noui testamenti.

*Quæ est ergo ratio sacramenti?*

DEUS



Deus perpetuo inde vsq; ab initio mundi hunc ritum seruauit, quod promissionibus suis vel recens propositis, vel sollemniter repetitis, adiecerit externa signa tanquam aspectabiles conciones suarum promissionum. Quare verissime ait Augustinus, Sacramentum esse visibile, id est, spectabile, verbum: Nam quod Dominus verbo offert, id Sacramento tanquam visibili testimonio obsignat. Ex quo facile intelligi potest, ad substantiam cuiusque Sacramenti quatuor requiri. 1. Mandatum & institutionem diuinam. 2. Externum signum. 3. Promissionem gratiae. 4. Fidem promissionis, sine qua sacramenta inefficacia sunt. Hoc ita esse facile ostendi potest propositis exemplis. In Circumcisione apertum est mandatum: Custodies pactum meum. Est & promissio expressa: Ero Deus tuus & seminis tui. Huic promissioni additur signum Circumcisio preputij. Verum quia promissio inefficax est, nisi accesserit fides: quarto loco requiritur & ipsa necessario. Hoc Roman. 4. breuissimo aphorismo ostenditur, ubi ita ait Apostolus: Et signum accepit circumcisionis, signaculum iusticiae fidei. Cum dicitur Accepisse, notatur mandatum: Cum additur Circumcisio, exprimitur externum signum: Cum subiungitur Signaculum iusticiae, significat illud externum signum promissionis, gratuita iusticiae esse signaculum: Verum cum quarto loco addit Fides, signifi-

significat promissam iusticiam fide accipi. Hinc colligamus definitionem sacramenti generalem. Sacramentum est visibile signum, mandatum & institutum à Deo, quo ut Deus suam gratiam testatur & obsignat: ita homines vicissim suam in Deum fidem profitentur. Hinc & illud sequitur, quod principalis finis sacramentorum sit, ut sint signacula promissionis diuinæ fide accipiendæ: Ex quo fit, quod fides augeatur & confirmetur sacramentorum usu. Est quoque obseruanda analogia signi ad rem signatam, quæ nihil aliud est quam symbolica comparatio rei visibilis, & inuisibilis, qualis in baptismo clare cernitur. Nam ut aqua abluuntur sordes corporis, ita sanguine Christi abluuntur sordes animi. Et ut carnis præputium præscindebatur in Circumcisione: Ita vetus natura in regeneratione abscindenda est. Hanc comparationem necessario requiri in sacramentis testatur August. cum inquit: Si sacramenta comparationem ad eam rem, quam significant, non haberent, sacramenta non essent. Et propter hanc comparationem sacramenta dicuntur Symbola, id est, signa quæ comparatione docent.

*Quot sunt genera Sacramentorum?*

Duo sunt. Alia enim sunt Sacramenta veteris testamenti, alia noui.

*Quæ sunt differentia inter  
sacramenta veteris & no-  
ui testamenti?*

Augustinus tres ponit, quarum Prima est:  
Sacramenta veteris testamenti prænuñciarunt  
rem futuram, quam sacramenta novi exhibitam  
esse declarant.

Secunda sumitur à diuersitate signorum. Vt  
illis sacramentum initiationis fuit Circumcisio:  
Ita nobis initiale sacramentum est Baptismus:  
Et vt illis sacramentum fuit confirmationis A-  
gnus phasæ: Ita nobis Cœna Domini confirmatio-  
nis sacramentum est.

Tertia sumitur à numero, significatione, &  
virtute sacramentorum. Nostra enim, vt inquit  
Augustinus, sacramenta numero sunt pauciora,  
significatione augustiora, & virtute præstantiora.

*Quæ, & quot sunt sacra-  
menta noui testamenti?*

Sacramenta noui testamenti sunt ritus pro-  
missioni additi, vt sint pignora & testimonia gra-  
tiæ exhibitæ & applicatæ. Et sunt numero tan-  
tum duo: scilicet Baptismus & Cœna Domini.  
Nam in his duobus signis noui testamenti sunt  
ista

QVÆSTIONES. 207  
ista quatuor, quæ ad substantiam sacramentorum pertinent.

DE QVARTA  
PARTE CATECHISMI.

Quæ est quarta pars Catechismi?

Doctrina de Baptismo.

Cum sacramenta sint altera pars ministerij Dei in Ecclesia, Age explicare dicito de sacramentis novi testamenti, ut quid de illis sentiendum sit, sine ambiguitate intelligam.

Id faciam, ac primum de Baptismo. Verum ut methodica sit nostra de hoc Sacramento tractatio, tria capita proponam, quæ ordine explicabo: primum esse debet de definitione Baptismi, et eius analysi. 2. De significationibus Baptismi. 3. De vero usu seu praxi Baptismi per totam vitam.

DE

## DE PRIMO.

*Quid est baptismus?*

Est sacramentum noui testamenti constans in  
 Etione hominis in aquam, & pronuntiatione ver-  
 borum: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii  
 & Spiritus sancti, Amen. & habet annexam  
 promissionem salutis fide accipiendam.

*Retexe hanc definitionem  
 in sua membra.*

Illam quatuor, quae dixi in omni sacramento esse  
 debere, in hac definitione conspiciuntur, videlicet  
 diuina institutio, externum signum, promissio gra-  
 tia, & fides promissionis.

*Dic de institutione.*

Baptismus auctoritate diuina institutus est mi-  
 nisterio Iohannis Baptista. Sic enim scriptum est  
 Lucae 3. Et factum est verbum Domini ad Ioha-  
 nem filium Zachariae. Venit igitur ad Iordanem  
 &c. praedicans baptismum penitentiae in remissi-  
 onem peccatorum. Deinde auctoritas baptis-  
 mationis, ubi filius à Iohanne baptizatur, Spiritus  
 sanctus in specie columbae apparet, Vox Dei pa-  
 tris de

tris de celo sonat : Hic est filius meus dilectus in quo complacui. Postremo, Saluator post resurrectionem in celum conscensurus, commendat discipulis suis hoc sacramentum, cum inquit : Data est mihi omnis potestas in celo & in terra, profecti igitur predicare Euangelium omni creaturae, baptizantes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hinc apparet & unde sit Baptismus, & quae sit eius dignitas, & quanta cum reuerentia tractari debeat.

*Quodnam est signum externum?*

*Aqua, tinctio, & verborum pronuntiatio.*

*Cur aqua adhibetur?*

*Propter analogiam. Quemadmodum enim aqua corporis sordes abluuntur : Ita spiritualiter & arcano quodam modo conscientiae hominum sanguine Iesu Christi abluuntur à mortuis operibus.*

*Quid sibi vult tinctio?*

*Hec adhibetur propter spiritualem significationem, de qua in secundo capite dicitur.*

P

Quae

*Qua est pronuntiatio verborum?*

Ego Baptizo te & hoc est: Ego minister Dei hac mersione testor te recipi ab aeterno patre, & abluui sanguine filij eius aeterni, & sanctificari, regenerariq; virtute Spiritus sancti in nouam creaturam, vt hunc vnum & aeternum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus agnoscas, in hunc firma fiducia recumbas, eum inuoces & colas, expectans aeternam vitam, in quam in hoc lauacro regeneratus es.

*Tantane vis inest aqua?*

Nequaquam: Salutis enim beneficium gratuitum Dei donum est, quod Deus impertit virtute Spiritus sui, verbi & sacramentorum ministerio, quibus tanquam internuncijs vtitur, & sua voluntatis interpretibus.

*Quid sentis de illorum sententia, qui dicunt sacramenta noui testamenti conferre gratiam?*

Verbo & sacramentis confertur gratia, sed

ministerialiter: Solus enim Deus gratiam confert per verbi sui & sacramentorum dispensationem, dum fide accipiuntur.

*Qua est promissio annexa Baptismo?*

Est gratuita salutis, iuxta illud: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit. Nam Deus per Baptismum tanquam authenticum suae voluntatis sigillum, nobis salutem gratuitam & remissionem peccatorum obsignat.

*Qualis fides requiritur?*

Talis fides requiritur, qualis est promissio: Est autem promissio, ut dictum est, quod Deus hominem condonatis peccatis propter meritum Christi recipiat in gratiam, ut sit heres vitae aeternae. Proinde fides erit firma fiducia, qua homo statuat sibi Deum talem esse, qualis in promissione sua gratuita describitur. Hac fide homo iustificatus virtute Spiritus regeneratur, ut iam novam in vera sanctitate vitam meditetur.

DE SECVNDO.

*Dic de significationibus Baptismi?*



Significationes Baptismi sunt hæ tres.

1. Est testimonium gratiæ.
2. Est symbolum rerum arcanarum & spiri-  
tualium :
3. Est nota externæ professionis seu Christi-  
nismi.

*Quomodo baptismus est te-  
stimonium gratiæ ?*

Baptismus est testimonium gratiæ cum exhibita, tum applicatæ : Exhibita quidem, quia ut circumcisio figurabat Christum gratiæ fontem venturum : ita Baptismus eundem venisse testatur. Cum igitur Christus sit fons gratiæ, iuxta illud : Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum, & Baptismus hunc venisse testatur, merito testimonium gratiæ exhibita dicitur baptismus. Applicatæ vero, quia baptismus est veluti authenticum sigillum, quod testatur eum in gratiam recipi, qui iuxta Christi institutionem baptismatis lauacro abluitur, iuxta hæc testimonia : Baptismus est lauacrum regenerationis. Item : Quotquot baptizati sunt Christum induerunt. Applicatæ igitur gratiæ testimonium iure censetur baptismus.

*Quare*

*Quare baptismus Symbolum dicitur?*

*Baptismus est symbolum historiae, gratiae, doni, & conformitatis.*

*Quomodo baptismus est Symbolum historiae?*

*Quia concionatur baptismus de morte, sepultura & resurrectione Domini: Mersio enim in aquam mortem figurat: mora sub aqua sepulturam adumbrat: extractio de aqua resurrectionem representat. Rom. 6. Continet igitur baptismus historiam trium dierum, nempe mortis, sepulturae, & resurrectionis Domini.*

*Quomodo baptismus est Symbolum gratiae?*

*Quia baptismus testatur eos qui baptizantur, virtute mortis, sepulturae, & resurrectionis Domini ablui à peccato, inseri Christo, regenerari & in communionem corporis Christi recipi. Nam quod per baptismum mundamur à peccatis, inserimur Christo, regeneramur & recipimur in communionem Christi, id est, Ecclesiam, fit beneficio cor-*

cio corporis Christi quo induimur, & sanguinis quo abluimur. Nam Christus in baptismo fit baptizatis emundatio, tegumentum & caput. Quam ob causam ipse baptismum recepit, vt baptizati illo insereremur, sanguine eius ablueremur, & omnes baptizati vnum corpus mysticum vnius capitis Christi fieremus, iuxta illud. i. Corin. h. 12. Per vnum spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi. Est itaque Ecclesia tota nihil aliud quam vnus Christus quemadmodum idem Apostolus testatur.

### Quomodo baptismus est Symbolum doni?

Quia testatur de virtute mortis, sepultura & resurrectionis Domini in nobis. Nam quod morimur peccato, beneficio mortis Christi fit: quod reluctamur peccato, vt quiescat & non spiritus imperium excutiat, virtute sepultura Christi efficitur: Et quod de peccati sepulcro in nouam vitam resurgimus, id quoque fit efficacia resurrectionis Christi in nobis, iuxta illud Rom. 6. An nescitis quod quicumq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus per baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis

mortuis per gloriam patris : ita & nos in nouitate vita ambulemus. Nam si insiti sumus similitudini mortis eius, etiam resurrectionis erimus &c.

### Quomodo baptismus symbolum est conformitatis ?

Quia testatur nos conformes fieri debere imaginis filij Dei, cum in morte & sepultura, tum etiam in resurrectione. Admonset igitur nos baptismus crucis ferendae in hac uita cum Christo, mortis corporalis, & resurrectionis. Nam si Christus, qui caput est, per mortem introiuit in gloriam, nos qui eius membra sumus non poterimus alia uia ad gloriam beatitudinis peruenire. Quotiescunq; ergo premimur cruce, reuocemus in memoriam baptismum nostrum, qui nos cruci subiectos fore significat, non ita tamen, ut cruce perpetuo prostrati iaceamus, sed ut cum Christo tandem ad gloriam beatitudinis perueniamus, iuxta illud Rom. 8. Compatimur ut etiam una cum eo regnemus.

### Quomodo baptismus est externa tessera ?

Eo quod professionis Christianismi quaedam

nota est, & veluti militare quoddam <sup>sub quo</sup> ~~sub quo~~ <sup>quo</sup> Christi milites à Satanae mancipijs discernuntur, modo baptismus hominum culpa non destituatur sua spiritali virtute. Verum hæc significatio minus principalis est, quam cum Anabaptistæ solam & unicam agnoscant, merito repudiandi sunt, qui non solum hoc impium dogma maligne defendunt: Verum etiam pueros baptizandos negant contra manifestum mandatum Christi, & sacramenti huius rationem, quod in locum circumcisionis successit. Et impie statuunt iterandum esse baptismum, cum sit initiale sacramentum & perpetuum in corpore baptizati fœderis Dei testimonium, non secus atque circumcisio olim perpetui valoris erat, cui, ut dixi, baptismus successit.

### Quis est verus usus & salutaris meditatio baptismi?

Cum Petrus prioris tertio dicit: Baptisma est bonæ conscientiaë stipulatio cum Deo per resurrectionem Christi, significat baptismum esse mutuum pactiōnem Dei & conscientiaë hominis: Dei quidem offerentis & promittentis gratuitam salutem propter filium: Conscientiaë vero respondentis, id est, accipientis fide promissam gratiam. Hinc primum colligatur vniuersalis doctrina, quod

quod omnes sine regenerationis gratia haereamus in peccatis & damnatione, iuxta illud Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum celorum. Item: Ephes. 2. Omnes sumus natura filij irae. Deinde quia Baptismus est mutua pactio seu stipulatio inter Deum & hominem, debet conscientia, ut ex pacto Dei, doctrinam: ita ex pacto respondente, admonitionem capere.

*Quam doctrinam ex pacto Dei capit fides?*

1. Quod Deus aeternus sit placatus propter filium, iuxta illud: Hic est filius meus dilectus in quo complacui, id est, per quem reconciliatus sum omnibus, qui meo filio inseruntur, ac eius membra fiunt per regenerationis gratiam.
2. Quod Christi beneficia & merita baptizatis donentur. Qui enim Christum induit, eius merita & beneficia induit, atque eius efficaci praesentia defenditur.
3. Quod pater aeternus baptizatos in filios adoptet, quos iam caros habet in dilecto, Ephes. 1.
4. Quod pater aeternus velit nos regere suo sancto spiritu, ad Galat. 4.
5. Quod velit nos eripere à morte aeterna & vinculis Diaboli, & donare nos aeterna vita.

*Quæ admonitio ex pacto  
spondente in nobis capienda  
est?*

1. Admonemur constantis fidei in hunc Deum qui nobis filium dedit.

2. Admonemur obligationis: Nam dum baptizamus in eius nomen, obligamus nos ad ipsum inuocandum & colendum.

3. Admonemur spei, qua omnia promissa certissime ab eo expectamus.

4. Glorificationis, ut ipsum corde, ore, & confessione glorificemus, ac nostram fidem coram toto mundo testatam faciamus.

5. Pœnitentiæ, mortificationis, & crucis.

6. Admonemur resurrectionis ad eternam vitam, & plenæ liberationis ab omnibus ærumnis, quibus in hac præsentis vita obruimur. Hæc omnia confirmantur significationibus baptismi, de quibus supra dictum est, nimirum quod sit immotum gratiæ testimonium, quod sit historiæ Christi, gratiæ, doni & conformitatis nostræ cum Christo symbolum, Et, ut breuiter dicam, quod sit pignus certissimum vitæ æternæ, nisi nos nostra culpa fidem baptismi repudiauerimus. Quotiescumque igitur labimur in peccatum, reuocemur cogitatione baptismi, ac meminerimus huius pactionis,

nis, cuius virtute lapsi in gratiam recipimur: meminerimus quoque nostri officij, id est, fidei & obedientiæ erga Deum: meminerimus etiam patientiæ sub cruce, cui nos per baptismum subie-

DE QVINTA PARTE CATECHISMI.

Quæ est quinta pars Catechismi?

Cœna Dominica.

Quid de hac Cœna pie sentiendum est?

Quia sacramentum Cœnæ dominicæ est summe necessarium in Ecclesia, ut quod Christus iam commendaerit suis discipulis, atque adeo toti Ecclesiæ complecti conabor, quicquid ad huius sacramenti rationem pertinere videtur. Sunt autem hæc capita. 1. Cœnæ descriptio. 2. Significationes cœnæ. 3. Vera probatio eius, qui hac Cœna uti velit. 4. Pia & salutaris meditatio huius sacratissimæ cœnæ. 5. Sacramentariorum, id est, prophæ-



prophanatorum sacramenti Cœnæ genera cum  
breuibus confutationibus.

## DE PRIMO.

*Age da perspicuam & ad  
solutam descriptionem huius  
sacratissimæ Cœnæ.*

Ut plena descriptio huius sacratissimæ Cœnæ  
haberi possit, hæc quatuor veluti eius elementa  
spectanda sunt. Primo parasceue seu apparatus.  
2. Institutio. 3. Circumstantiæ historię institue-  
tionis. 4. Ratio sacramentalis Cœnæ, ex quo-  
rum omnium consideratione colligitur descriptio.

*Quæ est parasceue ad hanc  
Cœnam?*

In apparatus huius Cœnæ spectandum est. 1.  
Quid actum sit antequam ventum est in domum  
in qua instituta est. 2. Quid in cœnaculo ante  
cœnæ institutionem.

*Quid actum est antequam  
ventum est in locum insti-  
tuta cœnæ?*

Hoc habetur Lucae 22. hisce verbis : Venit autem dies Azymorum, in qua oportebat mactari pascha. Et misit Dominus Petrum et Iohannem dicentes : Eures parate nobis pascha, ut comedamus. Illi autem dixerunt, ubi vis paremus? Ille dixit eis : Ecce ingressis vobis in civitatem, occurret homo fictile vas cum aqua gestans, sequimini illum in domum in quam ingreditur, & dicite patrifamilias domus : dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, in quo pascha cum meis discipulis comedam? Et ille vobis ostendet aulam magnam stratam, illic parate. Absentes autem inuenerunt quemadmodum dixit eis, & parauerunt pascha. Hæc Evangelistæ verba duo continent. 1. Signum diuinitatis Christi res futuras & contingentes certo prævidentis. 2. Confirmationem discipulorum de suo magistro, ut non ex cruce imminente & presentibus ærumnis atq; externa specie iudicarent de eius auctoritate & potestate in rebus ordinandis. Utrumque rem magnam arguit, quam aggressurus erat in cœna. Pertinet igitur hic apparatus ad dignitatem cœnæ amplificandam, quam Deus & homo insituere proposuit.

Quid postea in cœnaculo contigit ante institutam Cœnã?

1. Accumbit ad mensam cum duodecim : Magister

gister cum discipulis: Rex regni celorum cum eius administratoribus.

2. Alloquitur discipulos dominus his verbis: Desiderio desideravi hoc pascha uobiscum manucare, ac si dicat, id quod in huius paschæ celebratione instituiam, erit extremum & perpetuum <sup>μνησθησθε</sup> quod mea Ecclesiæ, usque dum redieris sum iudicaturus uiuos & mortuos, reliquam.

3. Prædicit iamiam suam mortem imminere.

4. Meminit sui proditoris quem comminatione grauiissima proposita in viam reuocare studeo.

5. Iuxta legem cum discipulis agnum paschalem comedit. Cuius ritus describitur Exod. 11. & Leuit. 23.

### Quid hæc ad Cœnam?

Ostendunt quam digna, quam seria, quam reuerenda, quam sancta & quam necessaria fuerit cœnæ huius institutio, quam dominus iam mortuus in summo pauore, consternatione, & tristitia animi instituit. Quæ res & nos admonebit, ut in huius cœnæ celebratione uero pauore, & tristitia propter peccata nostra tangamur.

### Quæ est huius cœnæ institutio?

Historia

Historia institutionis habetur Matth. 26. Mar.  
14. Luc. 22. 1. Cor. II.

*Recita verba institutionis.*

Dominus noster Iesus Christus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & cum gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis dicens: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum, quod pro uobis traditur; hoc facite in mei commemoratio-

nem. Similiter & calicem accepit postquam coenauit, & cum gratias egisset, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix notum testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

*Quanam in historia institutionis huius cœnæ obseruanda veniunt circumstantiæ?*

Circumstantias historiae institutionis cœnæ hoc disticho complexus sum.

Tempus, conuiuæ, benedictio, sanctio, signa,  
Munera magna Dei, mandatum, fœdera, fines.

CUR

*Cur temporis fit mentio?*

Ut admoneamur & ingentis amoris filij Dei erga nos, quia ea nocte, qua sciuit se tradendum esse propter peccata nostra, hanc cœnam nobis in bonum instituit, & necessitatis maxime huius cœnæ. Nam in eo mœrore propter imminentem mortem, nequaquam instituisset hanc cœnam, nisi summe fuisset Ecclesiæ ipsius usque ad consummationem seculi necessaria.

*Qui conuiuia?*

Christus Dominus & Magister conuiuio præfuit, vna cum discipulis conuiuator erat, cum quibus etiam interfuit Iudas proditor. Hinc admoneamur, quod vt Christus perpetuo cum suis discipulis suæ cœnæ adesse velit, ita vix fiet vt Iudas excludatur.

*Benedictio quæ?*

Dominus in institutione huius cœnæ dicitur benedixisse & gratias egisse Deo, nobis relinquens exemplum, vt hac cœna nunquam sine gratiarum actione vtamur.

*Quæ sanctio?*

Hoc facite: Hæc dignitatem, reuerentiam & perpetuam

perpetuam huius cœnæ observantiam nobis commendat.

### Quænam sunt signa?

Externa signa sunt panis & vinum quæ propter spirituales significationem adhibita sunt, de qua in secundo capite dicitur.

### Quænam munera sunt in hac cœna invisibilia?

Verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: non metaphoricum corpus aut sanguis: non mysticum corpus, aut sanguis, sed illud ipsum, quod ex Maria virgine natum est, & postea in aram crucis suspensum est, ille ipse sanguis qui effusus est de sanctissimo eius corpore, ut clare sonant verba cœnæ. Quod datur pro vobis, & qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum. Cum his adest quoque invisibilis gratia, quam Deus una cum hoc Sacramento offert.

### Quale fœdus est?

Novum & sancitum sanguine Christi de gratia & remissione peccatorum, de quo postea plura dicentur.

*Quinā fines sunt huius cœnæ?*

1. Perpetua beneficiorum Christi recordatio.
2. Obsignatio remissionis peccatorum. *Acque hi sunt principales fines cœnæ Dominicæ.*

*Quæ ratio sacramentalis cœnæ?*

*Cum omne sacramentum Ecclesie signum sit diuinitus institutum, cui addita est promissio fidei utentis sacramento requirens, nemo dubitare potest, quin hæc cœna sit sacramentum. Primum enim Christi instituentis mandatum est manifestum. 2. Signum uisibile est panis & uinum. 3. Additur promissio noui fœderis de remissione peccatorum. 4. Quia promissio requirit fidem, ea quoq; includitur hisce verbis: Hoc facite in mei commemorationem.*

*Cœnam Domini sacramentum agnosco, sed qualenam queso est sacramentum?*

*Vt in ueteri testamento duo sacramentorum genera fuerunt: Vnum initiationis, ut circumcisio: Alterum conseruationis seu confirmationis, ut agnus*

agnus phase, sanguis vacca ruffa aspersus, & alia legalia: ita in nouo testamento baptismus initiationis sacramentum est: Eo enim recipimur in familiam Dei. Cæna Domini conseruatio- nis est. Nam eo recepti in familiam Dei, conser- uamur & confirmamur.

Collige tandem plenam hu-  
ius sacramenti descriptionē?

Ex ijs que dicta sunt hæc potest colligi plana & perspicua descriptio. Cæna Domini est sacramen- tum nostræ per victimam Christi redemptionis ab ipso Christo iam morituro pro peccatis nostris in- stitutum, & commendatum discipulis, in quo cum pane & uino porrigitur & accipitur ue- rum corpus & uerus sanguis Domini, ut sit re- cordatio Christi in cruce pro nobis oblatis in pia- cularem victimam, & confirmatio noui fæderis de gratia & remissione peccatorum. In hac de- scriptione sunt circumstantiæ illæ nouem, qua- rum supra memini. Deinde quoq; ea puncta di- scerte recitantur, quæ ad integram sacramento- rum naturam pertinent. Conspiciuntur quoq; cause omnes, quæ in hoc sacramento concu- runt. Est enim causa efficiens Dominus Chri- stus: materia, panis & uinum: forma uerbo addi-



tur: fims, recordatio mortis Christi & obſignatio gratiæ & remiſſionis peccatorum. De alijs accoſſorijs ſinibus dicetur in ſecundo capite.

## DE SECUNDO.

*Quæ ſunt ſignificationes ſacramenti cœnæ?*

Sicut agnus paſche in veteri teſtamento plures habuit ſignificationes. Admonebat enim populum de beneficio ei olim præſtito, id eſt, de liberatione à ſervitute Aegyptiaca, & iugo Pharaonis: Confirmabat fidem venturum hoc Sacramento de venturo Meſſia: & erat figura futura victimæ Chriſti, & liberationis à ſervitute peccati & Diaboli tyrannide: Ita hæc ſacraſſima cœna habet varias ſignificationes, eaſq; intimo corde recordendas, idq; reſpectu temporis præteriti, præſentis, & futuri omnis temporis.

*Quam habet cœna ſignificationem reſpectu temporis præteriti?*

Cum tempus præteritum reſpicimus, eſt hæc cœna commemoratio quedam, & recordatio hæſtoricæ

floris de passione Domini, iuxta præceptum Domini dicentis: Hoc facite in mei commemoratio- nem. Vult enim in hac cæna perpetuâ memoriam esse suorum erga Ecclesiam suam beneficiorum.

*Quam habet cæna hæc signi-  
ficationem respectu tempo-  
ris præsentis?*

Primum significat nos vñiri & incorporari corpori Christi, idq; spiritualiter, iuxta hæc Pauli verba: Calix cui benedicimus, nonne communi- catio sanguinis Domini est? Panis quem fran- gimus, nonne communicatio corporis Christi est? id est, Communicatio corporis & sanguinis Do- mini facit nos habere quandam cum Christo com- munionem.

Deinde significat nos quoque inter nos vñiri Christi spiritu, cuius communionis symbolum v- nus existit panis, sicuti Paulus testatur cum ait: Quoniam vnus panis vnum corpus multi su- mus. Nam omnes vnus panis sumus partici- pes. Quemadmodum enim panis ex multis gra- misticum coalescimus. Atq; ideo Paulus hanc sacratissimam cænam communionem appellat, quam appellationem Damascenus hisce verbis

explicat: Cœna dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carnem & diuinitatem, & quia communicamus & unimur inuicem per ipsam. Preterea significat hæc cœna nos spiritualiter alere & sustentari corpore & sanguine Christi. Ut enim panis & vinum corpora humana nutriunt, auget, conseruant, exhilarant: Ita corpus & sanguis domini alit, auget, conseruat, exhilarat animas nostras ad vitam æternam.

*Quam habet hæc cœna significationem respectu futuri temporis?*

Hæc sacratissima cœna significat, quod virtute corporis Christi resuscitati ex mortuis, nostra etiam corpora olim resurgant & fiant conformis glorioso corpori Christi, Philip. 3. Vnde Paulus: Si Christus resurrexit, & nos resurgemus, & fruamur perpetua præsentia corporis Christi in omni æternitate. Vnde quidam veteres hæc cœnam vocarunt viaticum, quia admonebat ante mortem sumentes hæc cœnam, quod Christus esset ipsis via ex his ærumnis & calamitatibus huius uitæ ad æternam beatitudinem.

*Quam habet cœna significationem*

*tionem respectu omnis temporis ?*

*Quod sit perpetuum fauoris Dei erga homines testimonium, nulli mutationi obnoxium, nulla vetustate corrumpendum. Atq; hac de causa hæc cæna ab ipso domino nouum testamentum vocatur, vt quod nulli vetustati unquam obnoxium futurum sit.*

*Age dic breuiter quid sit nouum testamentum.*

*Nouum testamentum est fædus æternum inter Deum & hominem, sancitum morte Christi testatoris de gratia Dei, remissione peccatorum, & donatione vitæ æternæ promissæ omnibus gentibus & populis, in hunc Iesum Christum crucifixum credentibus. In hac definitione sunt quinque puncta, quæ in omni testamento consideranda sunt, Quorum primum est testator Christus. 2. Hereditas. 3. Scripti heredes, id est, omnes fideles. 4. Mors testatoris. 5. Conditiones seruandæ à scriptis heredibus, nimirum vt certa statuatur sibi hereditatem obuenturam ex gratuita promissione testatoris. Fides ergo sola facit, ut quis inter heredes scriptos numeretur : Con-*

trà, sola diffidentia facit vt homines hac hereditate excidant & excludantur.

## DE TERTIO.

*Quanam est vera & legitima hominis probatio ante sumtionem cœnæ?*

Paulus dicit : Probet autem quisque seipsum & ita de pane illo edat, & de poculo bibat. Nam qui edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit. Ex hisce Pauli verbis quam sit necessaria probatio ante huius cœnæ sumtionem intelligitur, & quod hæc cœna tantum porrigenda sit ijs, qui se probare possunt.

*Dic qualisnam hæc probatio esse debeat.*

Huius probationis tres circumstantiæ sunt perpendendæ. 1. Quisnam se probare debeat. 2. Quid probari oporteat. 3. A quo hæc probatio fieri debeat.

*Quis se probare debet?*

Qui

Qui se ad sacræ huius cœnæ sumtionem comparat. Qui enim, ut supra dictum est, edit indigne non dijudicans corpus Domini, iudicium sibi edit & bibit. I. Corint. II.

*Quid probari in eo oportet?*

Hoc Paulus 2. Corinth. 13. explicat his verbis. Vos ipsos tentate num sitis in fide, vos ipsos probate. An non cognoscitis vos ipsos, quod Christus in vobis est? nisi sicubi reprobi estis. Hæc Antithesis illustris est, qua probati & reprobi opponuntur. Ut enim probatos dicit eos, qui in fide sunt & Christum in se habitantem sentiunt: ita reprobos eos statuit, qui fide carent & Christum in se habitantem non sentiunt. Quare iusta probatio & examen in hoc consistit, ut vere sentiatur fides & Christi præsentia in nobis, idq; ex virtute spiritus eiusdem nos ad pietatis studium excitantis. Is proinde vere probatus est, qui reverenter in timore Dei, in vera pœnitentia, in vera fiducia, & cum pio proposito ad hanc cœnam accedit.

*A quo hoc examen fieri debet?*

Paulus respondet: Probet seipsum homo. Nemo enim melius & certius iudicare potest, an sit in fide, quàm quisque de seipso.

*Quid audio? annon requiritur necessario confessio & absolutio?*

*Confessio quæ fit Deo, qui solus credentem absoluit, semper est necessaria; Verum aliter indicandum est de confessione auriculari & absolute, quæ à sacerdote annunciat.*

*Dic clarè quid sentias de confessione auriculari, necessaria sit, nec ne?*

*Si esset omnino ad hoc examen necessaria, Paulus nequaquam dixisset, Probet seipsum homo. sed ita potius, quisq; probetur per alium, quod factum fieri nequit. De confessione ergo ex verbo sic sentio: Si adsit vera fides & poenitentia, non opus est alio confessionis genere, quam qua sancti homines Dei, David, Manasses, Petrus, veniam de maximis sceleribus impetrauerunt à solo Deo, qui solus peccata condonare & delere potest. Quare ad aliam nemo cogi debet auctoritate verbi Dei, nisi quis forte totam Ecclesiam offenderit. Tum enim ex mandato Dei tenetur, ut confessione publica Ecclesie reconcilietur. Quid*

Quid ergo sentis de confessione in nostris Ecclesijs recepta?

Ad hanc confessionem mandato diuino non simpliciter obligamur, quemadmodum ostensum est: Verum, quia est pio consilio propter disciplinam quandam retinendam recepta, nemo eam contemnerere debet, nisi ordinis & disciplinae contemptor haberi velit.

Ad quid hac confessio utilis est?

Multum sane habet utilitatis. Primum enim ea instituuntur rudes & ignari, qui Christianae religionis mysteria nondum norunt. Deinde in hac confessione iuuenum & adolescentum exploratur profectus. Nam boni pastoris est non solum publice docere, verumetiam Pauli exemplo domatim experiri, quantum auditores sui in pietatis doctrina profecerint. Tum in hoc examine exigitur ratio fidei ab ijs, de quorum fide & religione iusta potest esse dubitatio. Praeterea in hoc colloquio, doctrina, consilio, & consolatione iuuantur, quorum perplexa est conscientia, & premitur aliquo scrupulo, qui eam reddit



reddit inquietam. Hi recte sibi consulunt, si ad suos se pastores, aut alios quospiam viros bonos recipiunt, vt erudiantur ac consolationem capiant. Propter hæc quatuor hominum genera confessio priuata in nostris Ecclesiis retinetur: vbi tamen nemo cogitur ad enumerationem peccatorum, quemadmodum in Papatu factum est.

*Videturne hæc confessio necessaria propter absolutionem?*

Qui vult scire quid sit vera absolutio, debet prius cogitare quid sit peccatum, & inde absolutionis veram definitionem petere.

*Age hoc explicacius dicito.*

Cum peccatum sit defectus à lege, & voluntate Dei cum obligatione ad æternam mortem & damnationem, Absolutus absque dubio is dicitur est, qui credit promissioni gratuite. Nam is liber est ab obligatione mortis & damnationis, iuxta illud: Qui credit in filium habet vitam æternam. Proinde vera Absolutio est liberatio hominis credentis ab obligatione ad æternam mortem & damnationem.

Estne

*Estne igitur absolutio priuata contemnenda?*

*Nequaquam: Prodest enim etiam priuatim omnibus Euangelium audire, quo annunciatur remissio peccatorum credentibus. Nam tum demum aperitur regnum celorum, cum Euangelium annunciatum fide recipitur. Sunt enim hæc duæ clauis Ecclesiæ, verbum & fides: prædicatio verbi de remissione peccatorum impetranda per Christum vna clavis est ad aperiendum regnum celorum, quod si is qui audit, adiungit veram fidem, accedit etiam clavis altera. His ergo duabus clauibus recluditur regnum celorum, & impetratur condonatio peccatorum.*

*An non Christus dicit: quorum peccata solueritis, soluta erunt. Item: dabo tibi claues regni celorum?*

*Christus post resurrectionem suam emittens Apostolos hisce verbis: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, & qui crediderit saluus erit, interpretatur clauis, quas tradidit Ecclesiæ, nihil aliud esse, quàm prædicationem Euangelij*

& fidem prædicati Euangelij. Hoc tantum ad-  
do, quod voce ministri sæpe infirmitati fidei suc-  
curratur.

*An non ministri quoque  
absoluunt?*

*Absoluunt, ut dictum est, predicando Euange-  
lium de remissione peccatorum: non virtute, aut  
conceptæ absolutionis forma, aut impositione ma-  
nuum. Nam iste ritus absoluendi prorsus igno-  
tus erat puriori Ecclesiæ.*

*Quid ergo minister verbi  
ei, qui se accedit confitendi  
gratia, dicet, seu quomodo e-  
um absoluet?*

*Non inutile fuerit hac aut simili forma uti.  
Cum mi fili non solum te peccatorem & rem-  
agnoscis, serioque doles, quod Deum tuis horren-  
dis peccatis offenderis: Verum etiam credis  
promissioni Euangelij de remissione peccato-  
rum, & voci Christi pronunciantis eum qui cre-  
dit habere vitam æternam, et promittentis ratum  
fore in celo, quicquid solutum fuerit in terra, Ego  
testor te remissionem peccatorum tuorum habere,  
quam*

quam tibi vice Christi annuncio, atq; adeo vt minister Dei te absolutum pronuncio in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare. Hic siue manum capiti imponat, siue non, nihil refert, modo absit superstitio.

## DE QVARTO.

Quæ est vera & salutaris meditatio huius sacræ cœnæ?

Cum hac Christi cœna sit nostræ per victimam Christi redemptionis sacramentum, Primum in mentem communicantibus venire debet causa mortis Domini, nempe peccatum nostrum, propter quod nos fuimus obnoxij æternæ iræ & mortis. Mortuus est enim, vt Paulus inquit, dominus propter peccata nostra: Et 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iusticia Dei in ipso. 2. Cum cogitatione peccati simul cogitandus est finis victimæ corporis & sanguinis Domini in ara crucis peractæ, qui est nostri redemptio à iure peccati & mortis. 3. Cum his simul cogitandum, quanta fuerit ira Dei aduersus peccatum, quod

quod peccatum non potuerit ullis hostijs expiari, nisi unigeniti filij Dei, qui pro nobis factus est <sup>75. v.</sup> 4. *Causa impulsiva duplex huius victima cogitanda est, nimirum inenarrabilis misericordia Dei volentis nos in gratiam recipere propter filij satisfactionem, & amor filij qui natura humana assumpta voluit fieri victima, & in se derivare iram aeterni patris, pœnam pro peccatis humani generis sustinere dignatus. Hæc meditatio esse debet, & totius Ecclesiæ & singulorum membrorum in Ecclesia. Nam cum Dominus iubet hæc cœnam fieri in sui recordationem, requirit serio, ut hæc cœna sit & publica & priuata recordatio, utraque requirit earum rerum meditationem, seruitio, gratiarum actio, & alij motus piij. Atq; ita hic vsus cœnæ dulcissima <sup>cor. x. v. d. n.</sup> est, in qua & ipse filius Dei nobiscum fœdus facit, quod nos clementer recipiat, & nos vicissim cum eo fœdus faciamus, quod ei credamus & beneficia eius grati accipiamus. Facit & inter se fœdus Ecclesiæ, offert confessionem, consensum, concordiam, obligat se ad mutuam caritatem. Breuiter, se totam Christo carissimo sponso subiicit, omnia postponens obedientiæ erga ipsum, qui non solum sua morte clementissima voluit nos à morte aeterna liberare: verum etiam sua paterna storga dignatus est nos suo sanguine pascere ad vitam aeternam.*

DE QVINTO.

*Quia multi sunt prophanatores huius sacrae cœnæ, rogo ut me breuiter instituas, ne istorum labe inficiar.*

Prophanatores cœnæ dominicæ vulgo vocantur sacramentarij, quorum non est vnum genus. Semper enim in Ecclesia multi fuerunt, qui hanc sacratissimam cœnam prophanauerunt. Hoc loco decem genera recitabo, quorum etiam errorem euidentibus rationibus refellam. Sunt autem hæc genera. Primum genus eorum est, qui monstroso nomine Transsubstantiatores dicuntur. Secundum genus Magicorum est. Tertium eorum, qui sacri-  
lege alteram sacramenti partem laicis auferunt. Quartum genus est eorum qui ἀετολατρίαν, seruationem panis & eius circumgestationes defendunt. Quintum genus eorum, qui sacrificium inde pro-  
vius & mortuis faciunt. Sextum genus eorum, qui docent sacramenta per se gratiam conferre. Septimum genus est eorum, qui furenter præsentiam domini in cœna negant. Octauum genus eorum, qui asserunt temere sacramentum noui testamenti tesseram tantum professionis seu Christianismi externam esse. Nonum genus eorum, qui ne-  
gant.

R

gant impudenter veram Christi humanitatem post resurrectionem circumscriptam esse, idq; ideo vt presentiam corporis & sanguinis in cœna tuerantur, qui sane cum vnum errorem fugiunt in alium præcipitantur. Postremum genus eorum, qui vtuntur sacramentis vel sine fide, vel cum fide sine debita reuerentia, quam tantum mysterium requirit.

### Quos vocas transsubstantiatores?

METASTROPHAS qui dicunt naturas mutari, id est, panis substantiam in corporis substantiam, & vini substantiam in sanguinis substantiam conuerti. Verum manere elementa panem & vinum non mutatis naturis panis & vini, sed tantum in sacrum vsum destinatis, conuincunt verba apostoli. 1. Corinth. cap. 10. Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Deinde si mutaretur, seu vt papistæ (sicut à Toma loqui didicerunt) transsubstantiaretur substantia elementorum in naturam corporis & sanguinis nequaquam haberet rationem sacramenti. Nam ad sacramenti integritatem requiritur signi externi propria natura: vt, arbor vitæ vera erat arbor: Arcus celestis, verus erat arcus: præcisio cultis in circumcissione, vera erat præcisio: Petra in deserto,

deserto, vera erat petra : Man, verum man erat :  
 Agnus phase, verus erat agnus : sanguis vacce  
 ruffe, verus sanguis erat : aqua baptismi, vera est  
 aqua, & sic de alijs.

*At virga Mosis in colu-  
 brum, & aqua in Cana in  
 vinum conuersa est?*

Illic cum naturarum mutatione etiam proprie-  
 tates mutatae sunt, quod in sacra caena non fit.  
 Nam hic manent proprietates panis & vini,  
 quemadmodum omnium experientia testatur.

*At multa sunt miracula edi-  
 ta, quae aliud videtur docere?*

Miracula ista non sunt vere miracula, sed tan-  
 tum quaedam praestigia Satanae, quibus errorem  
 idololatricum conatur confirmare. Emanauit, vt  
 dicunt, sanguis de pane à Iudaeis cultro vulnera-  
 to. In pago Falstriae Kypinga fures qui panem istum  
 cum suo argenteo ergastulo furati sunt, in terram  
 sacrilegio commisso ad genua vsq; demersi sunt, et  
 etiamnum vestigia apparent. Murus quoq; trans-  
 euntibus est fractus. Haec fuerunt diaboli quaedam  
 artificia, de quibus Spiritus Dei praedixit in  
 Paulo: Quia non credunt veritati, dabit Deus  
 illis efficacem errorem, vt credant mendacio. Cur



autem his prestigijs Satan mundum illuserit manifestum est. Primum enim confirmavit creaturam adorandam esse. Deinde furtum sacrilegorum stabilivit, qui alteram cœne partem canis præcipuam, quæ testamenti nomine signatur, surripuerunt. Præterea testatur idem Ecclesia purior. Nam inter alios Gelasius, qui vixit anno Domini 486. ita ait. Certa sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Domini diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes nature, & tamen esse non desinit substantia, vel natura panis & vini. Et Augustinus ait: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Non dicit hic sanctus pater verbum tollere elementum, sed accedere elementum, ita vt vtrumque maneat saluum, verbum videlicet et elementum.

### Quos vocas magicos?

Qui insurrâtes verba elementis, & fatidi habitus virtute putant consecratione fieri, & gloriantur de potentia sacrificulorum rasorum et victoriorum, quæ quinq; verbis possint Christum de celo deducere. Nã vt sint quinq; verba impari numero, magicam superstitionem confirmantes, addunt, enim, & dicunt afflando pani: Hoc est enim corpus meum.

Quid? an non horum verborum virtute fit consecratio?  
consecra-

Consecratio panis & vini non fit aliter, quam consecratio aque baptismi. Nam ut hæc consecrata dicitur cum vsui baptismi applicatur. Ita panis & vinum destinata cœnæ Domini consecrata sunt, idq; virtute sacerdotis summi Dei, & hominis Iesu Christi, qui baptismum & cœnam instituit. Nihil enim aliud consecrare est, quam rem communem & prophanam sacro vsui dedicare. Hæc consecratio proinde fit obœdientia erga Christi institutionem per prædicationem beneficiorum Christi, per preces & gratiarum actionem, & per piæm vsum huius sacratissimæ cœnæ. Nec aliud vult Augustinus cum dicit: *Accedat verbum ad elementum.*

*Cur sacramentarios vocas, qui alteram partem sacramenti cœnæ laicis auferunt?*

Quia quod Dominus commune vult esse omnibus, illi solis sacrificulis sacrilege proprium esse volunt. De calice enim, quem auferunt, dicit aperte Dominus: *bibite ex hoc omnes.* Et Episcopus quidam Romanus Gelasius nomine ita ait: *Comperimus autem quod quidam sumpta tantum corporis portione à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quia nescio qua docentur religione astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut*

ab integris abstineat, quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest fieri.

*Cur inter sacramentarios numeras eos qui panem consecratum reseruant, circumgestant, & se coram eo religiose prosternunt?*

1. Quia est contra verbum Dei. Verat enim verbum, ne cultus Dei sine eius mandato instituat, Matth. 15. Frustra me colunt docentes doctrinas mandata hominum.
2. Est idololatria damnata Deut. 12. Non facietis singuli quod sibi rectum videtur, & rursum: Quod precipio tibi hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas.
3. Est horrenda idololatria. Nam ex pane idolum faciunt quod adorant.
4. Vetus Ecclesia hunc morem ignorauit. Ita enim Clemens ait: Certe tanta holocausta in altari offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint, in crastinum non reseruentur.
5. Pugnat cum natura Sacramenti. Nam panis non magis est sacramentum, cum non à communicantibus sumitur, quam aqua cum ea nemo abluat.

abluitur aut baptizatur. Quare non magis <sup>à grotio</sup> <sup>à grotio</sup> quam hydrolatria ferenda est.

Quomodo convincis eos sacramentarios esse, qui cœnam sacrificium esse dicunt pro vivis & mortuis?

Quia prophanant sacramentum. Horum enim errorem primum confutat institutio ipsa. Nam dominus suum corpus edendum, & suum sanguinem bibendum vivis tantum præbuit.

2. Confutat istum errorem fides cœnæ. Cœnam enim eis commendavit, qui ea uti possint in sui recordationem.

3. Quia cœna non est sacrificium, sed tantum quedam sacrificij recordatio.

4. Quia nullum sacramentum ex opere operato valet, sed tantum efficax est, cum fide recipitur, quemadmodum & verbum.

5. Manifeste isti errori refragatur scriptura, que testatur Christum vna oblatione semel tantum facta, consummasse in æternum sanctificandos.

6. Ubi est peccatorum remissio, iam nõ est oblatio pro peccato: Quod aut patres interdum cœnã vocant hostiã, victimam, holocaustum, hoc faciunt, quia cœna Domini est victimæ victimarum recordatio.

*Cur inter sacramentarios numeras eos, qui dicunt sacramenta per se conferre gratiam?*

1. Quia id quod solius Dei est, impie creaturis tribuunt. 2. Quia hac ratione plus Sacramento tribuitur, quam verbo. Impium igitur est asserere sacramenta per se gratiam conferre. Interim tamen non reprehendo, si quis dicat, sacramenta conferunt gratiam, hoc sensu, Sacramenta conferunt gratiam, hoc est, Deus confert gratiam per sacramentorum dispensationem, si vera fide percipiuntur. Ut enim verbo: ita & Sacramento offertur gratia, sed fide recipienda.

*Quid habes contra illos, qui negant presentiam Christi in cœna?*

Hi, quia manifeste pugnant cum Christi institutione & perpetuo purioris Ecclesie consensu, potius desendi sunt quam confutandi. Deinde supra satis ostendimus veritatem corporis & sanguinis Domini in cœna.

*Quomodo refellis eos qui dicunt*

cunt sacramenta tantum esse externam tesseram Christianismi?

Hi Anabaptistæ sunt multis alijs horrendis erroribus præcipitati in extremam miseriam & damnationem. Quare & illorum furor est execrandus, præsertim cum Paulus illorum insaniam confutat. Vide supra quæ diximus de significationibus cœnæ, cur videlicet dicatur communio.

Quid dicis de illis qui dicunt Christi humanitatem esse ubique cum divinitate?

Hi, ut errorem vitent illorum qui negant nos vere participare carnem & sanguinem Domini in cœna, in hunc horrendum errorem incidunt, quod asserant humanitatem Christi esse ubiq; cum divinitate, quorum sententia supra in symbolo in articulo de Ascensione clarissime refutatur. Et angelus Domini aperte mulieribus dicit: Surrexit non est hic. Hic sane aut angelus Dei mentitur, quod horrendum est cogitatu, aut illi falluntur, qui dicunt humanitatem Christi esse ubiq; cum divinitate, qua omnia replet & ubiq; adest. De-

inde Paulus ad Philip. 3. asserit nostra corpora fore conformia glorioso Christi corpori. Sed quis audet asserere nostra corpora fore infinita, ut sint ubique, qua sane ratione tolleretur humana natura veritas. Proinde neq; corpus Christi infinitum est effectum post resurrectionem. Præterea sancti patres fatentur Christi corpus circumscriptum esse. Nazianzenus enim eundem Christum pronunciat. *ἡ εἰς ἑαυτὸν καὶ ἀπερίγραπτος, ἰπύστος ἐὼς ὁμοῖος, καὶ ἕτερος καὶ ἄκαθετός.* Ea est enim diversarum naturarum humana & diuine diuersitas, quam quia Eutychiani sustulerunt, iuste hæresicos damnati sunt.

Quomodo ergo asseritur à catholicis quod corpus Christi & sanguis sit vere in cæna?

Verum corpus et verus sanguis Christi adsunt in cæna vna cum pane & vino, non quidem natura coniunctione, sed sacramentali. Nam non esse carnalem, nec inclusionem corporis in pane, sanguinis in vino, ita ut locus, et corpus se mutuo contingant, locusq; cedat corpõri, testatur cum sanctis patribus etiam Lutherus. Quare ad hanc veram corporis & sanguinis Christi in cæna presentiam nequa-

nequaquã requiritur, vt humanitas Christi sit vbi-  
 que cum diuinitate, sed hoc sufficit credere, quod  
 quemadmodum in cœnæ institutione sedet dominus  
 circumscripto corpore, & nihilominus exhibuit  
 discipulis corpus suum edendum, & sanguinem su-  
 um bibendum, idq; veraciter, iuxta verba cœnæ :  
 Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus: Ita  
 iam in gloria maiestatis sedens porrigit communi-  
 cantibus manib. ministrorum (ea est ipsius diuina  
 virtus & potentia) corpus suum & sanguinem.  
 Unde latina Ecclesia precari ante communionem  
 solita est: Sursum corda habemus ad Dominũ.  
 Quemadmodum ergo in prima cœnæ institutione  
 discipuli oculos in dominum intentos habuerunt,  
 qui sedens ad mensam porrexit suam sacram cœ-  
 nam: Ita nos quoq; leuare corda nostra in celum  
 debemus ad eundem, qui iam in gloria maiestatis  
 sedens porrigit in cœna manibus ministrorum com-  
 municantibus uerum suum corpus & uerum suum  
 sanguinem, vt sit cibus & potus interioris ho-  
 minis, quo ille alitur, augetur, & crescit ad vi-  
 tam immortalem. Unde Bernhardus de sacra-  
 mento cœnæ verba faciens ita ait: Cibus iste non  
 est ventris sed mentis. Non est enim datus ad  
 ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum ma-  
 nens, sed ad æternam vitam animæ conferendam.  
 Et sicut aqua in Baptismo aspersa, functa est suo  
 munere: Ita panis comestus, & vinum haustum in



sacratissima cœna, suo quoq; perfuncta sunt manere: Verum vis spiritualis fide possidetur, & retinetur veritas corporis & sanguinis Domini.

*Quare sacramentarios vocas eos qui utuntur sacramento, vel sine fide, vel absq; debita reuerentia?*

Quia vtriq; prophanant sacratissimam Domini cœnam. Qui enim fide vacui sunt, prophan existunt, ad quos hæc cœna non pertinet: hi sibi manducant & bibunt in iudicium damnationis, sicuti & verbum audiunt sibi in iudicium damnationis. Deinde qui fidem quidem habent, sed accedunt absque debita reuerentia, comedunt & bibunt indignè sibi in iudicium castigationis seu correptionis, quemadmodum Corinthios fecisse testatur Apostolus. Nam illi graui pestilentia puniti sunt reuerentiam erga hoc sacramentum puniti sunt. Ad eundem modum si fide præditus legit, aut audit verbum absq; debita reuerentia et timore Dei, legit & audit sibi in iudicium correptionis & castigationis. Nam huiusmodi irreuerentiam verbi & sacramentorum punit Deus etiã in sanctis, sed corporalibus pœnis.

DE MISSA PAPISTICA.

Cum apud pios iam male au-  
diat missa papistica, age  
eius rei causas expone.

Interest sane omnium piorum fugere horren-  
das sacrae cœnæ prophanationes, & sacrilegam  
abominationem, quæ in sacrae cœnæ locum erecta  
est, quam sane magis abominandam & execran-  
dam arbitror, quam βδέλυγμα illud quod Antio-  
chus in templo Hierosolymitano posuit. Recitabo  
itaq; causas octo, quare papistica missa merito om-  
nibus pijs inuisa esse debeat. Prima: Missa pa-  
pistica est ad turpem quæstum & nundinationem  
prostituta, quod omnes cordati norunt, qua prophe-  
tatione nulla maior inueniri ab ipso Satana huius  
nundinationis architecto potuit.

Secunda: Cœna quam Dominus instituit suæ  
voluntatis perpetuum testimonium sacrilege mu-  
tilata est, sublato usu sacri calicis.

Tertia: Missa ista papalis cœnam in alienam  
formam conuertit, ut vnus seorsum epulum suum  
habeat, abolita communicatione, quod sane per-  
inde est, ac si vnus subinde seipsum sacro baptis-  
mate ablueret, qua quidem abominatione, quid  
quæso potest dici fœdius?

Quarta: In missa papali nulla fit mysterij ex-  
positio,

positio, sed murmur incantationi magica, & nefandis gentium sacris potius quam domini instituto conueniens. Iustinus martyr refert ritum similem seruatum fuisse olim in sacris solis (quem <sup>videtur</sup> sacerdotes ipsius vocarunt) In his sacris usus panis & aquae fuit, sed nulla vox à spectatoribus audiebatur, nisi hæc. <sup>ἢ ἱεὺς ἀδὲ ἢ παῖς δὸν</sup> hoc est, aut nostis, aut discere potestis. Ab his sacrificulis Solis suam missandi legem & non à Christo accepisse Papistas luce clarius est.

Quinta: Habet missa illa infinitas ceremonias, partim ineptiarum histrionicarum, partim superstitionis plenas, quibus manifeste scædari sacram cœnam vel pueris pie educatis notum est.

Sexta: Diabolicum figmentum sacrificij extreme abominandum est. Quis enim qui vel nicam veritatis Euangelicæ habet, non videt istud figmentum manifestam in Christum blasphemiam in se continere.

Septima: Missa ista culinaria ad miseros homines carnali fiducia inebriandos aptatur, & tanquam expiatio Deo opponitur, adeo vt homines hoc amuleto putent se expellere omnes noxas, idque sine fide & pœnitentia, quin etiam ter stulti homines auditu missæ seu potius inspectione histrionicæ saltationis armari se putant, & aduersus Deum tanquam tuto presidio muniti, multo licetiosius peccare audent, & obstinatiores redduntur.

Octava: In Missa papistica idolum adoratur loco Christi, prophana & Ethnica sanctorum invocatio fit. Verum, ut rem totam vno verbo complectar: Missa ista papistica vtut speciosa in hypocritarum oculis apparet, omni abominationum genere scater. Quam abominationem, etsi vident Pontificij, tamen eam gladio & igne tuentur. Nam ea abolita vident magnum periculum suis honoribus & culinario Deo imminere. Quare pij potius sint cum Christo contemptibiles, quam gloria & diuitijs abundant cum diabolo & eius Torparcha, quem Paulus filium perditionis, & Iohannes Antichristum appellat.

*Si sic sentiendum est de missa papistica, videtur quod multis centenis annis non fuerit rite celebrata cœna dominica in mundo.*

Hoc quidem obijciunt papistæ, sed falluntur, dum nusquam cœnam in vero vsu fuisse, si apud se non fuit, asserunt. Nimis enim angustis limitibus claudunt Ecclesiæ pomeria, cum ea sparsa sit per vniuersum orbem, teste Christo, cuius solius testimonium oppono omnibus et papistis et diabolis. Verum si queris, vbi nam fuerit Ecclesia extra

papæ

papæ ditionem, Respondeo: Multi fuerunt <sup>pj</sup> in  
 externa societate papistarum, qui etsi cæne usu pri-  
 uati erant: tamen fundamenta religionis & ar-  
 tículos fidei recte intellexerunt. Deinde in Turcia,  
 in Arabia, in Persia, in Aegypto fuerunt inde  
 usq; à temporibus Apostolorum, & sunt hodie  
 Ecclesia, etsi grauem sustinent tyrannidem, non  
 secus atque populus Dei in Aegypto olim. Verum  
 ne vana referre videar, ascribam descriptionem  
 cæne seu missæ, qualis in Arabia & Aegypto  
 hodie, vbi Christiani sunt, celebratur.

*Dic quæso distincte de ritu  
 missæ quem in Aegypto ser-  
 uari dicis.*

Ante triennium fuit hic vir senex & grauis,  
 missus à Constantinopolitano Patriarcha, Deme-  
 trius nomine, natione Thessalonicensis, qui mihi  
 multa de religione Christianorum degentium in-  
 ter Turcas narrauit: Et quia in nobilissima illa  
 Aegypti ciuitate Cairo, quæ & Misrim dicitur,  
 vixerat decennium, eius Ecclesie ritum ex Ara-  
 bia translatum in celebranda missa mihi expo-  
 suit, cuius narrationem hoc pacto distinxit.

I. Habent in Cairo Christiani multa templa  
 (omnia insignita Luna Falcata, quæ est Turcæ  
 cum in-

cum insigne) sed sine campanis (humana enim voce vocantur ad sacra) & sine idolis, nisi quod picturas historicas ex veteri & nouo testamento in parietibus templorum habeant depictas.

2. Antiochenus pastor est illorum patriarcha, qui, ut agnoscatur Patriarcha esse, pileum latum (in cuius medio est crux rubra) sui muneris insigne in capite gestat.

3. Quatuor vicibus in anno, nempe die natiuitatis Domini, die resurrectionis, die pentecostes, & 15. die Augusti communicant omnes Christiani, qui illic sunt sub vtraque specie: non est discrimen laici & sacerdotis, sed eadem mysteria porriguntur vtrisque.

4. Misse celebratio hoc modo fit: Sacerdos induit albam & pallium nostro fere more, nisi quod cruces rubras quatuor habeat in veste sacerdotali, in dextro brachio vnam, in sinistro alteram, in pectore tertiam, quartam in dorso, ut quocumque se vertat, insignia Christi summi sacerdotis contemplanda exhibeat.

5. Sacerdos ita in sacrario ornatus prodit, & mox ad populum conuersus verba haec alta voce, ut exaudiri possit ab omnibus qui adsunt, pronuntiat. *Ὁ λογιζόμενος ἠ βασιλεία Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ Ἁγίου πνεύματος, καὶ αἰεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας ἔ αἰῶνων.* hoc est, benedictum regnum patris, & filij & spiritus sancti, & semper, & in secula seculorum:

Et respondet totus populus, ἀμὲν, amen.

6. Huic confessioni mox precationem ad trinitatem subiungit, ad quam populus totus Amen respondet.

7. Finita precatione canitur à populo: ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ὁ ἰσχυρός, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλεησὸν ἡμᾶς, hoc est, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri.

8. Huic cantioni subiungitur lectio ex scriptis Apostolicis primum græce, deinde arabice, quia plerique Christiani qui illic sunt ex Arabia sunt translati.

9. Canitur Hallelu Iah.

10. Euangelium legitur græce, deinde arabice.

11. Finito Euangelio canitur à toto cætu cæmen quod Cherubim vocant.

12. Carmine Cherubim finito, fit concio à summo ministro, idq; fere ad horam. Nunquam enim vlla concio se ultra horam extendit.

13. Finita concione recitantur cæna verba in ipso suggesto, idq; tantum in quatuor festis, de quibus supra ad tertium numerum dixi.

14. Reuersus à suggesto ad mensam, que in medio templi sita est, ad populum se conuertit sacerdos hæc verba pronuncians, πάντα δόσις ἀγαθὴ καὶ βέλτιον. Omnis donatio bona, Et omne donum perfectum descendit celitus à patre luminum.

15. Sacerdos distribuens sacramentum cœnæ, singulos communicantium hisce verbis alloquitur, *λάβετε χάριν παρά κυρίου, καὶ ἰλημοσύνην παρά θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, id est, accipe gratiam à Domino, & misericordiam a Deo salvatore nostro.*

16. Ad hæc respondet qui accipit sacra cœnæ mysteria: *Ἐδέχθη σὺ Ἐμυστικῶς ἡμεῖς κοινανόν με παρά λαβῆναι, ἢ μή γάρ σι δέξῃσθα, ἢ φιλημά τοι δώσω, καθάπερ οἱ ἱεροδιδάσκαλοι, ὡς ὁ ἀγῆς ἑμολογῶ σι, μή τιβί μοι κέρει ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, hoc est, Cœnæ tuæ mysticæ fili Dei fac me participem. Nequiquam enim te negabo, nec osculum dabo sicut Iudas, sed veluti latro te confitebor: memento mei Domine in regno tuo.*

17. Nihil canitur inter communicandum, sed omnes spectatores singulari deuotione meditantur hæc sacra mysteria.

18. Communicatione finita, additur gratiarum actio cum precatione, & vertens se ad populum sacerdos in hunc modum benedicit populo, *ἡ δόξα γάρ σου κυρίου ἐφ' ἡμᾶς, benedictio Domini super vos, & respondet totus cœtus, Amen.* Hæc de Missa retulit Demetrius, quæ quatuor anni vicibus celebratur, quemadmodum supra admonui. Verum in quotidianis conuentibus hunc morem habere Christianos retulit idem Demetrius. Omnium primum orditur sacerdos à benedictione, vt in missa. 2. Finitur preces publicæ, recitatur aliqua lectio ex sacris literis, & fit breuis concio. 3. Distribuitur, precibus



bus finitis, sine vino panis: hunc panem dicitur  
non esse corpus Domini, sed tantum dari in signum  
mutuæ fraternitatis, ut hoc symbolo admoniti i-  
psorum animi coalescant, qui de eodem pane par-  
ticipant. 4. Hoc percepto pane populus cum hac be-  
nedictione, ἡ εὐλογία τοῦ κυρίου ἐφ' ἡμᾶς, dimittitur.

## O R A T I O A D C H R I S T V M.

**D**ulcissime Domine Iesu Christe fili Dei, sine tua  
gratia mens nostra densissimis offunditur tene-  
bris: Affectus omnes in flammam cupiditatum feruntur:  
Voluntas mentis caligine inuoluta affectuum impetu  
abripitur: denique omnes actiones nostræ interiores &  
exteriores a norma voluntatis tuæ longe aberrant.  
Tenebras igitur mentis nostræ allato uerbi tui lumine  
dulcissime Iesu Christe discute: Cupiditatum flammam  
gratiæ tuæ fontibus clementer extingue: Voluntatem  
tua manu reformatam, tuo sancto impelle spiritu, ut  
quæ mens illuminata recte monstret: quæ affectus noui  
cordis pie suadent: ea & uoluntas alacriter imperet,  
& omnes uires animi & corporis uoluntatis imperio  
obtemperantes studiose exequantur. Tu enim solus es  
noster propiciator, noster Rex, nostra fortitudo &  
uirtus, nostra unica spes, unica salus, unica uia & uita  
æterna. Te inuoco dulcissime Iesu Christe, ut nobis assi-  
pua carne, uel persuasi a diabolo, uel abducti prauis ho-  
minum

minum morib. & exemplis, uel etiam offensi scandalis  
 relabamur in pristinas tenebras et aberramus a te uia  
 uitæ æternæ. Deduc obsecro nos fili Dei in lumine uul  
 tus tui, sustine nos, qui es dextera Dei patris, ne concie  
 damus: dirige nos quo tandem te duce perueniamus re  
 flæ ad gloriam immortalitatis, quam promissisti speran  
 tibus in te, dulcissime Iesu Christe: Tibi laus, confessio  
 & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

FORMA PRECANDI  
 generalis.

Omnipotens, æterne, uerissime Deus, pater Domini  
 & saluatoris nostri Iesu Christi, conditor celi & ter  
 ræ, una cum filio tuo Iesu Christo, & spiritu sancto,  
 agimus tibi gratias toto pectore, quod immensa miseri  
 cordia te nobis patefecisti misso filio Iesu Christo, &  
 prolato arcano & admirando decreto de redemptione  
 generis humani, & colligis tibi æternam Ecclesiam  
 per ministerium Euangely & spiritum sanctum, &  
 præbes hospitia Ecclesiæ, & res uitæ sustentationi  
 necessarias. Hæc et alia beneficia confitemur uerissime  
 tua dona esse, et abs te nobis propter filium tribui &  
 conferuari. Confitemur etiam multis nos peccatis mul  
 tipliciter pollutos esse, & ueris atq; ardentibus dolo  
 ribus cordis deploramus, quod contra normam iusti  
 ciæ tuæ peccauerimus, ac precamur, ut conuertas nos  
 ad te, et condones nobis omnia peccata nostra propter  
 dilectum filium tuum Iesum Christum, & spiritu san  
 cto tuo accendas in nobis ueram fidem & ueram obæ  
 dientiam, & regas nos, ut sicut serio nobis proposi  
 tum est, auxilio tuo emendemus uitam & tibi obædi  
 amus.

Oramus etiam propter Iesum Christum filium tuum dilectum, ut inter nos & in his regionibus perpetuo tibi colligas Ecclesiam, & in ea puritatem ueræ doctrinæ conserues, ut te uera inuocatione colamus, et tibi obœdiamus, & in omni æternitate te celebremus & diligamus. Ad hanc rem largiaris Ecclesiæ fideles doctores & pastores, qui recta docendo, & exemplo piæ uitæ gloriam tuam illustrent et prosint Ecclesiæ.

Oramus etiam propter Iesum Christum filium tuum dilectum, ut in his terris largiaris piam, salutarem, & tranquillam gubernationem, & regiam maiestatem, ac regni consiliarios et senatores tuearis, ac spiritu sancto tuo regas, ut tota ipsorum gubernatio seruiat gloriæ tuæ, & ipsis & subditis sit tranquilla & salutaris. Confirmes etiam omnes pios reges, principes & nobiles in proposito tuam gloriã, ueram doctrinã, & honestatem disciplinæ conseruandi. Etiam magistratus huius urbis clementer gubernes ac tuearis. Precamur etiam, ut res terra nascentes (quas largiris, ut in hac uita genus humanum sustentetur et te inuocet) foueas ac protegas, & panem quotidianum benigne nobis præbeas. Et quia tibi nota est ingens imbecillitas nostra, & promisisti te magnitudinem iræ aduersus peccatum temperaturum misericordia propter intercessionem dilecti filij tui, oramus, ut pœnas quas merito sustinemus, clementer mitiges, & afflictos omnes, qui te inuocant, consolere spiritu sancto tuo, ut in uera fide & uera inuocatione mancant constantes, & in omni æternitate misericordiam tuam celebrent, Amen.

Oratio

ORATIO DEVOTISSIMA AD  
Christum D. Augustini.

Spes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator,  
 lux, uia, uita, salus, decor & decus omne tuorum, Omnia pro quorum uoluisti ferre salute, Cernito uincta,  
 crucem, uulnus, mortem atq; sepulcrum: Post tres instantia  
 de dies deuicta morte resurgens, Discipulis uisus, uis  
 tantia corda reformans: Luce quater dena celorum  
 summa petisti, Viuis in æternum, nunc & per sæcula  
 regnans. Tu es Deus meus uiuus & uerus, pater meus  
 sanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, pastor  
 meus bonus, magister meus unus, adiutor meus opti-  
 mus, dilectus meus pulcerrimus, panis meus uiuus, Sa-  
 cerdos meus in æternum, dux ad patriam, lux mea ue-  
 ra, dulcedo mea sancta, uita mea recta, sapientia mea  
 præclara, simplicitas mea pura, concordia mea paci-  
 fica, custodia mea tuta, portio mea bona, salus mea sem-  
 piterna, misericordia mea magna, patientia mea robu-  
 stissima, uictima mea immaculata, redemptio mea sancta,  
 spes mea firma, caritas mea perfecta, resurrectio mea  
 uera, uita mea æterna, exultatio & uisio mea beatissi-  
 ma & sine fine mansura. Te deprecor, supplico & ro-  
 go, ut per te ambulem, ad te perueniam, in te requie-  
 scam, qui es uia, ueritas & uita, sine qua nemo uenit ad  
 patrem. Te enim desidero dulcissimum & pulcerrimum dominum, O splendor paternæ gloriæ, qui sedes  
 super Cherubim, & intueris abyssos, lumen ueridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem de-  
 siderant angeli prospicere, ecce cor meum corâ te est,

discute tenebras eius, ut amoris tui claritate plenius  
 perfundatur. Da mihi Deus meus te, redde mihi te: ex  
 amo te, & si parum est, amem ualidius. Non possum  
 metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris tui ad id  
 quod satis est, & currat uita mea in amplexus tuos,  
 nec auertatur donec abscondatur in abscondito uultus  
 tui: Hoc tamen scio, quia male mihi est præter te domi  
 ne, non solum extra me, sed in me ipso. Omnis enim con  
 pia quæ Deus meus non est, egestas mihi est. Bonum  
 namq; quod neq; in melius, neq; in deterius commutari  
 potest, tu solus es, qui simpliciter solus es, cui non est  
 aliud uiuere, & aliud beate uiuere, quod tua beatitudo  
 tu es, creatura uero tua, cui est aliud uiuere, & aliud  
 beate uiuere, omne quod uiuit et beate uiuit, non debet  
 nisi gratiæ tuæ attribuere, & ideo nos egestus tui,  
 non tu nostri, quia si omnino non essemus, nihil tibi de  
 esset ad bonum quod tu es. Tibi itaq; Domino Deo nos  
 stro semper adhærere necesse habemus, ut per continua  
 um auxilium tuum sancte & pie, & recte uiuere uale  
 amus. Pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum feri  
 trahimur, dono autem tuo accendimur & sursum feri  
 mur, inardescimus & imus, ascendimus, ascensionem in  
 corde facimus, & cantamus canticum graduum, igne  
 tuo bono inardescimus & imus, quo iam sursum sumus  
 ad pacem Ierusalem. Quoniam iucundatus sum in his  
 quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, illic col  
 locauit nos uoluntas bona, ut nihil uelimus aliud quam  
 permanere illic in æternum. Sed quia diu sumus in  
 corpore, peregrinamur a te Domine, non habemus he  
 ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus, nos  
 autem

autem municipatus in celis est, ideo duce gratia tua, ingredior in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, rex meus & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus peregrinationis meæ, ubi cantabiles mihi factæ sunt iustificationes tuæ. Et recordans Hierusalem, ex-tendo in eam sensum cordis, Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam, teq; super eam regnatorum, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorum, pastorem, castas & fortes delicias, solidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, simul omnia, quia uerum summum & uerum bonum: & non auertar, donec in eius pacem matris carissimæ, ubi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum quod sum a dispersione et deformitate hac, & conformes atq; confirmes in æternum, Deus meus, misericordia mea, Amen.

ORATIO PRO CONSERVATIONE in pietatis curriculo.

Omnipotens Deus, salus, protectio & liberatio nostra, concede petitiones cordis nostri, delectamur & speramus in te Domine, dirige gressus nostros in bonum, & cum ceciderimus in peccatum, porrige dexteram cadentibus cum auxilio gratiæ & misericordiæ tuæ, ne collidamur in interitum, ne confundamur in tempore malo, ne dispereamus cum impijs, sed hæreditatem iustorum uiuentium in terra sortiamur, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

GRATIARVM ACTIO BEATI  
Philippi Melanchthonis.  
AD DEVM PATREM.

Ago tibi gratias omnipotens, æterne & uire De-  
 us, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor  
 omnium rerum & conseruator ac opitulor, cum so-  
 lio tuo coæterno domino nostro Iesu Christo, patefacto  
 in Ierusalem, & spiritu sancto tuo effuso in apostolos,  
 quod te patefecisti nobis immensa bonitate certis &  
 illustribus testimonijs, & quod condidisti & elegisti  
 tibi Ecclesiam perpetuam, & uoluisti filium tuum Do-  
 minum nostrum Iesum Christum pro nobis fieri uir-  
 tam, dedisti nobis Euangelium tuum, & spiritum san-  
 ctum, remittis nobis peccata, & liberas nos a potestate  
 te diaboli, & a morte æterna, & das nobis uitam æ-  
 ternam, & hætenus in hac uita me multis magnis be-  
 neficijs donasti, dedisti uitam, uictum doctrinam, pacem  
 in locis in quibus uixi, & mitigasti pœnas quas meri-  
 tus sum.

AD *Ἰσαβηλαρον* FILIUM.

Ago tibi gratias etiam domine Iesu Christe fili Dei  
 uiui, crucifixe pro nobis et resuscitate, Emanuel, quod  
 copulasti tibi humanam naturam, passus es pro nobis  
 & resurrexisti, ac redemisti nos, seruas ac defendis Ec-  
 clesiam contra diabolos hostes tuos, & das & instauras  
 sæpe lucem Euangelij, remittis nobis peccata, &  
 das nobis uitam æternam, & es mediator & interpel-  
 lator pro nobis assiduus, & uis nobis opitulari, sicut  
 dixisti, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati  
 estis, ego reficiam uos.

AD DEVM SPIRITVM

sanctum.

Ago tibi gratias spiritus sancte uiuificator, effuse

in apostolos, quod accendis lucem tuam in nostris mentibus, regis, doces, mones, iuuas me consilio, gubernas labores uocationis meæ, & sanctificas me ad uitam æternam.

## O R A T I O E I V S D E M A D

Deum patrem.

Omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de filio tuo domino nostro Iesu Christo, hunc audite, conditor omnium rerum, & conseruator et opitulator, cum filio tuo coæterno domino nostro Iesu Christo, regnante tecum & patefacto in Ierusalem, & spiritu sancto tuo effuso in apostolos, sapiens, bone, misericors iudex & fortis, qui dixisti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et dixisti: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Miserere mei propter Iesum Christum filium tuum dominum nostrum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, & *ἡ ζωὴν ἡ ζωὴν*, & sanctifica, rege, iuuas, accende cor & animam meam spiritu sancto tuo, ut te uere agnoscam & inuocem, tibi uere credam, gratias agam, & obœdiam, rege et serua Ecclesiam tuam, sicut ut promissisti inquit: Hoc est fœdus meum cum eis, spiritus meus, qui est in te, et uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in æternū: semper luceat in nobis Euangelium tuum, & rege & confirma corda nostra spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruam, gubernas studia Ecclesiæ, & defende politias, quæ præbent hospitia Ecclesijs.

A D *Ἰωάννου* FILIUM.



Iesu Christe fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & resuscitate, qui regnas ad dexteram patris, ut des donum hominibus, & constitutus es interpellator pro nobis miserere mei et intercede pro me apud æternũ patrem tuũ, sanctifica me spiritu sancto tuo, sicut promisisti gens: Nõ relinqũa uos orphanos, rege et defende Ecclesiam tuam & politias, quæ sunt Ecclesiæ hospitium.

### AD SPIRITVM SANCTVM.

Spiritus sancte effuse in Apostolos, quem promissus nobis filius Dei, redemptor noster, ut accendat in nobis ueram agnitionem & inuocationem Dei, sicut scriptum est: Effundam super uos spiritum gratiæ & pietatis: Exuscita in cordib. nostris uerum timorem Dei & ueram fidem & agnitionem misericordiæ, quam nobis æternus pater Domini nostri Iesu Christi propter filium promissit, sis nobis paracletus in omnibus consilijs & periculis, & accende mentes nostras, ut uera oba dientia patrem Domini Iesu Christi, & filium eius redemptorem nostrum, et te, perpetuo celebremus.

### ORATIO ANTE COMMUNIONEM.

Domine Deus celestis pater, tibi gratias agimus quod pro nobis filium tuum unigenitum in mortem tradidisti, ut nos a morte peccati & gehennæ redimeret. Postea me miserum ad illum traxisti, ex eo quod peccata & damnationem mihi cognitam faciens pater ostendisti, quam certa salus in eodem Christo sit apprehendentibus illum per fidem. Præterea eiusdem filij tui carnem in cibum, & sanguinem in potum, in me

ferio uescendum exhibuisti, ut pasti in eum indies adolescamus, & quod accipimus deinde per eum in maius augeat. Effice, ut redemptionis nostræ precium, hoc est, mors & sanguis Domini ac Dei nostri semper uiuat, quod nobis uerbis & sacramentis eam locupletet commendaſti. Crescamus in ampliorem fidem, quæ per caritatem operetur, ut ad pia facta apparatus subinde reddamur, ac tuam unius gloriam unice per omnem uitam quæramus, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

### ORATIO PRO DOCILITATE.

Audi preces meas æterna patris sapientia Domine Iesu, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidisti, adde quæſo ad naturæ propensionem auxilium gratiæ tuæ, ut literas ac liberales disciplinas citius perdiscam, sed tuæ gloriæ seruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea plenius assequatur cognitionem tui, quem nosse felicitatis humanæ summa est, utq; ad te sanctissimæ puericiæ exemplum indies proficiam ætate, sapientia & gratia apud Deum & apud homines: Qui uiuis & regnas in consortio patris ac spiritus sancti in æterna sæcula, Amen.

### ORATIO IN PERICVLIS

& cruce.

Domine non secundum peccata nostra facias nobis, Neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Deus misericors pater, qui contritorum non despicis gemitum, & mœrentium non spernis affectum, ad esto precibus nostris, quas in afflictionibus, quæ iugiter nos premunt, coram te effundimus, easq; clementer exaud

exaudi, ut hoc, quod contra nos diabolica ac humana  
 fraudes moluntur, ad nihilum redigatur, consilioq;  
 tuæ bonitatis dispergatur: ut nullis insectationibus  
 læsi, in Ecclesia tua sancta, tibi semper gratias agamus  
 per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

## A L I A.

Non intres Domine in iudicium cum seruo tuo,  
 Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis  
 uens.

Omnipotens Deus qui nos in tantis periculis con-  
 stitutos, propter humanam fragilitatem scis non posse  
 consistere, da nobis salutem mentis & corporis, ut ea  
 quæ pro peccatis nos affligunt, te adiuuante, uincamus  
 per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

## A L I A.

Inuoca me in die tribulationis,

Et eruam te, & tu honorificabis me.

Parce Domine, parce peccatis nostris, & quamuis  
 incessabiliter delinquentibus continua pœna debeat,  
 præsertim tamen quæsumus, ut quod ad perpetuum  
 meremur exitium, transeat a nobis ad correctionis au-  
 xilium, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

O R A T I O C V M M A N E  
 surrexeris.

Quandoquidem tu celestis pater, tum in celis, tum  
 in terris unus ille omnipotens Deus, ubiq; genitum &  
 locum

locorum es & usq; permanebis: Te ex animo supplicissime precor, ne sinas ut in meam, neq; ut alij credentes in suam uoluntatem hunc diem conuertamus, sed neq; ut ad prauum arbitrium nostrū prolabamur, sed potius paternam tuam uoluntatem, æternum consilium, uerbum illud tuum salutiferum, tuumq; beneplacitum, recta intueamur, & ueraci corde perficiamus, quo nomen diuinum per nos miseros peccatores, nunc & semper sanctificetur, per filium tuum IESUM Christum, Amen.

ORATIO DV M ABIS  
cubitum.

Tibi Domine Deus animam ac uitam meam commendo, ut in Christo, qui est uita & resurrectio nostra ab æterna morte me defendas, atq; ut ipse, qui uera lux est, splendorem gratiæ suæ in corda nostra tenebrosa perfundat. AMEN.

FINIS.

1002960 oen 901231358

172

1002960 oen 901231358

1002960 oen 901231358